This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

LC
40
198.9

Lc 40.198.9

Harvard College Library

FROM THE

SALISBURY FUND.

In 1858 STEPHEN SALISBURY, of Worcester, Mass. (Class of 1817), gave $5000, the income to be applied to "the purchase of books in the Greek and Latin languages, and books in other languages illustrating Greek and Latin books."

DE

SCIENTIA CIVILI

APUD

MARCUM TULLIUM CICERONEM

HANC THESIM DISCEPTANDAM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS

ARTHUR DESJARDINS,

IN EADEM FACULTATE JAM LICENTIATUS,

DOCTOR IN JURE.

1858.

DE

SCIENTIA CIVILI

APUD

MARCUM TULLIUM CICERONEM

HANC THESIM DISCEPTANDAM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS

ARTHUR DESJARDINS,

IN EADEM FACULTATE JAM LICENTIATUS,

DOCTOR IN JURE.

Bibliothèque

1858.

Lc 40.198.9



Salisbury fund

JULIO OUDOT,

IN FACULTATE JURIS PARISIENSI PROFESSORI,

Optimæ disciplinæ præceptorumque memor,

D. D. D.

PROŒMIUM.

Nescio quo pacto fit ut quicumque rempublicam capessiverunt a rebus publicis animum avertere nequeant. Hi desiderant opes ; illi se a patria iterum exposci putant : omnes rempublicam in pejus ruere dicunt. Persæpe hoc tempus eligitur ad libros de scientia civili componendos : nullum enim ita secundum tempus eligi potest. Quando jus ab origine repetes, nisi cum jus violabitur? Quando reipublicæ formam optimam describere tentabis, nisi cum reipublicæ mala forma oculis obversabitur?

Quare igitur Cicero libros de Republica scripserit nemini dubium reor. Scilicet, cum ab exemplis avitis magis ac magis in dies Roma descisceret, et priscæ reipublicæ solidam et expressam effigiem nullam teneret, sed umbra et imaginibus vix uteretur, hanc veterem reipublicæ formam oculis æqualium subjicere decrevit, dein, quo majorem antiquæ laudis amorem omnibus animis injiceret, æterna civilis scientiæ præcepta loqui,

et inde quam mire duæ civitates, altera sapientis, altera Romani, inter se congruerent, ostendere. Tunc enim vela contrahere coactus in lamentabili Cæsaris et Pompeii concordia, senserat istiusmodi potentiam supra leges positam nunquam a veteribus Romanis, Lælio et Scipione, tolerari potuisse (1). Inde in philosophia civili temporibus elapsis accommodata solatium, auxilium, remedium quæsivit. Quod Romani, ut videtur, intellexere (2).

Mox libros de Legibus scripsit : quos paulo prius scripsit, ut aiunt, quom in Ciliciam abiret. Idem cursus, idem finis. Cum autem is esset Romanorum animus ut semper ad consuetudinem forensem respiceret, ad quotidianum usum vitæ publicæ descendendum. Sic Tullii perficiebatur consilium.

Neque tamen solum in istis operibus quid Cicero de civitate ordinanda senserit exquirere volui. Panditur operum Tullianorum de philosophia magna series : hic scientiæ civilis principium et fons. Immo longius progrediendum : quanquam enim non Ciceronem illum in foro dimicantem et civilibus procellis jactatum, sed Ciceronem de scientia civili philosophantem intueor, nullo pacto fieri potest ut tot orationes graves epistolasque rejiciam, et Platonem hunc Romanum esse virum consularem obliviscar. Non dimidiatum Ciceronem, sed Ciceronem totum de philosophia civili interrogemus.

(1) Hæc Gallice melius *J. V. Le Clerc*, breviter de M. T. Ciceronis Republica disserens.

(2) V. Ep. fam. VIII, 1.

Quod multos antea fecisse confiteor (nec ignoro virum quemdam, nomine Bernardi, extitisse qui sex libros M. Tullii Ciceronis de Republica ex aliis operibus arbitrio suo fabricavit); pauci vero fecerunt ex eo tempore quo nova capitula librorum antiquorum, edente Angelo Maio, mundo reddita sunt : certum iter hodie tentandum (1).

Quomodo tentaverimus intelligere facile est. Proœmium philosophiæ civilis in philosophia morali invenimus, et utramque scientiam apud Ciceronem arctissimo vinculo consociari probavimus. Deinde meram Tullii scientiam civilem exposuimus, semota, quantum licuit, imagine populi Romani ; tertia vero parte hujus opusculi, Tullio duce, populum Romanum in scenam induximus et ostendimus quomodo noster illa præcepta suæ Romæ accommodaverit. Denique quid Tullius Platoni, Aristoteli, Polybio debuerit quæsivimus.

(1) V. *J. V. Le Clerc*, loc. cit.

I.

CIVILIS SCIENTIÆ PRINCIPIUM ET FONS.

§ I.

Quoniam philosophiam, ut cæterarum doctrinarum, ita civilis scientiæ matrem confiteri solemus, prius de quibusdam Tullianæ philosophiæ sententiis quam M. Tullii præcepta de civitate ordinanda ante oculos ponere aggrediamur, paululum disceptemus necesse est. Suadet enim ipse Tullius qui non modo artes universas ex intima philosophia penitus hauriendas putavit, cum ipse hanc singulari amore complecteretur, inferret agresti Latio et civitate Romana donandam curaret, sed philosophiam moralem imprimis coluit, in alteram deduxit patriam et quasi quoddam civilis scientiæ procœmium Romanis proposuit. Quis autem nescit apud nostrum utramque artem arctissimo vinculo consociari? Quam autem societatem Plato et Aristoteles mire instituerant, quomodo discipulus eorum Cicero non perspexisset? Aderat idem præterea sæpius in philosophia morali Stoicorum alumnus, qui non solivagum hominem, sed agentem in republica, sed versantem in foro semper ostenderunt, unde fit ut, si nusquam unice hoc edocuit ut ars utraque certo quodam vinculo necteretur, philosophiam ac scientiam civilem nusquam in Tullii scriptis separari, sed illam vel in luce fori, hanc vel in umbra scholæ, alteram alteri sociam adesse sane intellexerimus. Cum autem civilis scientia e philosophia oriatur, non fieri potest quin ex quibusdam summæ philosophiæ præceptis multæ magnæque de republica quæstiones pendeant ac, si philosophica hic aut illic controversia fiat, totidem nascantur in civili scientia discordiæ. Neque enim, ut cætera omit-

tam, inter philosophos eamdem constituet rempublicam, homines qui censet liberos, eamdem qui cæca quadam necessitate agitari ac moveri existimat. Quæ cum ita sint, neque hanc legem Tullius detractare possit, neque, si possit, velit, paucas placet in philosophia M. Tullii sententias interrogare : quæ si absint, scientia civilis nulla sit, nulla sit M. Tullii Ciceronis respublica.

§ II.

Jam ante omnia quæramus utrum Tullius veritatem arripi posse putet an neget. Utram enim in tota philosophia viam, hanc in morali, hanc in civili scientia sequatur necesse est.

Etenim dicet aliquis : Quid de Tullii scientia civili loquaris? Hoc tempore fatus est iste, quo Roma vetus pessimis legibus vincta, flagitiosis moribus labefacta, civilibus procellis jactata se ex tantis tenebris desperabat emersuram, immo neque gubernatorum arte neque nautarum industria se ad certum iter agi posse confidebat. Ecquis credat ideo Tullium, quia in gravi rerum perturbatione ad philosophiam in Formiano sive in Tusculano secessio facta est, ex tanta morbi hujus Romani contagione purum exstitisse? nisi forte eum Zenonis aut Epicuri vestigiis et inde alterutri sectæ sive in philosophia summa, sive in morali scientia aut civili adhærere contendas. — Carneadis autem discipulum in scenam deducere placet? Quid Carneades in philosophia, quid in scientia civili? ***Cum nusquam adest veritas, quælibet vicissim, vel contraria, libet licetque loqui : immo sic propiora veritati loquamur.*** Ex uno disce Academicos, disce Ciceronem.

Sic eos fortasse Lucullus increpet, qui eodem animo cum popularibus viris, eodem cum Academia nova gerit inimicitias, ac Tiberium Gracchum « qui otium in optima republica subito perturbavit et Arce- » silam illum repente exortum qui constitutam philosophiam ever- » teret et in eorum auctoritate delitesceret qui negant quidquam sciri » aut percipi posse » invidia pari persequitur (1). « Quæro etiam, hic » ait, ille vir bonus, qui statuit omnem cruciatum perferre, intole- » rabili dolore lacerari potius quàm aut officium prodat, aut fidem, » cur has sibi tam graves leges imposuerit, cum, quamobrem ita » oporteret, nihil haberet comprehensi, percepti, cogniti, consti-

(1) Acad. I, lib. II, 3.

» tuti?... quomodo suscipere aliquam cum sapientia aut agere fi-
» denter audebit, cum certi nihil erit, quod sequatur (1)? » Quis enim, o Academici, pro vana veri effigie et vivere et mori sustineat? Quanta in nocte versamini! « Et Cimmeriis quidem, quibus adspec-
» tum solis sive deus aliquis, sive natura ademerat, sive ejus loci
» quem incolebant situs, ignes tamen aderant quorum illis uti lumine
» licebat : isti autem quos tu probas, tantis offusis tenebris, ne scin-
» tillam quidem ullam nobis ad dispiciendum reliquerunt. Quos si
» sequamur, iis vinculis simus adstricti ut nos commovere nequea-
» mus. Sublata enim assensione, omnem et motum animorum et
» actionem rerum sustulerunt (2). » Istos autem in philosophia vagantes æstuantesque interrogo quo philosophiam, dum avertunt a vera via, velint agere : « Sapientiæ vero quid futurum est? quæ
» neque de se ipsa dubitare potest neque de suis decretis quæ
» philosophi vocant δόγματα : quorum nullum sine scelere prodi
» poterit. Cum enim decretum proditur, lex veri rectique proditur.
» Quo e vitio et amicitiarum proditiones et rerumpublicarum nasci
» solent (3). »

Quæ crimina dum sibi a Lucullo inferri fingit Tullius, saltem videamus quomodo ipse propulsare tentaverit.

« Neque inter nos, ait, et eos qui se scire arbitrantur quidquam
» interest, nisi quod illi non dubitant quin ea vera sint quæ defen-
» dunt, nos probabilia multa habemus quæ sequi facile, affirmare vix
» possumus. Hoc autem liberiores et solutiores sumus quod integra
» nobis est judicandi potestas; nec ut omnia quæ præscripta et quasi
» imperata sint defendamus, necessitate ulla cogimur (4). » Hic vere, ut opinor, reperire licet quæ causa Tullium impulerit ut Academicorum sectam amplecteretur. Cum enim undique sectæ occurrerent quæ libenter obedirent dicto magistri, clausamque arcte compagem doctrinarum ne laxare quidem possent, hoc Tullius expetivit quæsivitque ut, cum philosophiæ daret otium, philosopharetur libere, nec proprium ad veritatem impetum magistri auctoritate premeret, sed ipse sibi magister esset, et apud omnes sectas sparsam ac dissemina-

(1) Acad. I, lib. II, 8.
(2) Acad. I, lib. II, 19.
(3) Acad. I, lib. II, 9.
(4) Acad. I. l. II, 3.

tam fortasse veritatem colligeret suamque facere omni ope adniteretur. Quid enim absurdius quam quia Stoicorum de moribus opiniones probaveris continuo mundum esse Deum credere. « Nobis autem » nostra Academia magnam licentiam dat, ut quodcunque maxime » probabile occurrat, id nostro jure liceat defendere (1). » Hoc jure, hac licentia incitatus est Tullius ut in Academicorum castra se conjiceret.

Nunc autem quo animo semel inclusus in istis castris versabitur? Quam longe hunc a Carneade remotum inveniemus! « Nisi ineptum » putarem, inquit, in tali disputatione id facere, quod, cum de repu- » blica disceptatur, fieri interdum solet, jurarem per Jovem deosque » Penates me et ardere studio veri reperiendi, et ea sentire quæ dice- » rem (2). » Scilicet hoc amore veri incensus, sapientis eam censuit vim esse maximam, cavere ne falleretur. Quare adductus est ut nunquam certa, sed probabilia, nunquam vera, sed verisimilia sapientem agnoscere profiteretur, quidquid accedisset specie probabile, si nihil se offerret quod esset probabilitati isti contrarium, uti eo sapientem; et sic omnem rationem vitæ gubernandam. Immo in Antiochum magistrum vehementer invectus est (3) quod Academiam novam acerrime in senectute accusavisset, quam antea defenderat, et hoc professus ut sapiens institutio vitæ virtusque a Carneadis Arcesilaique disciplina abhorreret, sed mire cum stoicorum doctrina congruere videretur, hanc cum Platonis Aristotelisque philosophia conciliare et consociare tentavisset.

Dicat igitur aliquis toto animo Tullium Academiæ novæ adhæsisse ac nihil inausum intentatumve reliquisse ut in singulis moralis philosophiæ civilisque scientiæ quæstionibus nunquam ad vera, sed ad verisimilia, nunquam ad certa, sed ad probabilia se pervenire posse demonstraret. Quod tamen fortasse arduum sit in Tullio reperire, nobis in Tullio reperire nec libet nec licet. Quid? Antiochum increpat quod Stoicos æmulari didicerit, Academiamque novam verbo retinuerit, re prodiderit, et ipse Antiochum sequatur! quem utrum inscius invitusque an libens tacite secutus sit dubitari fortasse potest, an secutus sit haudquaquam dubitandum reor. Antiochus se Platonis

(1) De Off. III, 4.
(2) Acad. I, l. II, 20.
(3) Acad. I, lib. II, 22.

discipulum aiebat. Quid Tullius? non dicam in omnibus ferme scriptis, sed in ipsis Academicorum libris : « Hanc Academiam , ait , novam » appellant ; quæ mihi vetus videtur , si quidem Platonem in illa » vetere numeramus (1) » Fateor hæc de Platone adjecta : « Cujus in » libris nihil affirmatur , et in utramque partem multa disserun- » tur. » Sed quis credat hoc Tullio compertum esse quod Plato nihil affirmaverit ; vel potius quis non hoc credat quod Tullius timida quadam excusatione defectionem a Carneadis Academia dissimulet? Sed hic nihil opus est Academicorum libris : stat ac viget in philosophia Romanus Plato , Platoni græco quam simillimus , Platonis græci quasi afflatus numine , Tullius Cicero. « Verum esse arbitror (2) , ait, » ut Antiocho nostro familiari placebat , correctionem veteris Acade- » miæ potius quam aliquam novam disciplinam putandam ». Vellem in philosophia sic Carneades erravisset : certe sic erravit Cicero qui veritatem , vel dum a Platone deficere cogitavit , Platone duce retinuit.

Atenim Antiochum transfugere ad Stoicos indignatur. Quæso igitur, nunquamne Tullium sub umbra Stoicorum latitantem reperire est? Num quidquam indignum Chrysippo in Tusculanis disputationibus deprehendes? nonne Panætium et Posidonium in libris de Officiis sequitur? Scilicet veritatem , quacumque invenit , arripit, colligit , retinet : sic , cum de Republica disserit , nunc Aristotelis , nunc Platonis vestigiis instat ; sic , cum de finibus bonorum et malorum , se peripateticum adversus omnes factum esse profitetur. Quin etiam , quod Antiocho isti proprium ac peculiare videbatur , in quarto de finibus bonorum ac malorum libro , Stoicos non solum exornat, sed etiam acriter probat verbo , non re , a peripateticis abhorrere , denique cum peripateticis omni ope conciliat ! Uni novæ Academiæ in Stoicos æternæ disputationes , ubi veteres inimicitiæ ?

Scilicet quoties de summis philosophiæ moralis ac scientiæ civilis quæstionibus disceptare Tullius aggreditur , hujuscemodi ingenia quæ mundo veteri affulserunt , sidera Christiani luminis prænuntia , recte sequitur , ancipiti autem ista philosophia Carneadeaque luce decipi se non sinit. Hic si quando eam meminit , ideo meminit ut sibi magnam licentiam ab Academia deficiendi dari ab ipsa Academia profiteatur (3).

(1) Acad. II , lib. I , 12.

(2) Acad. II , lib. I , 12.

(3) De off. III , 4.

Immo hanc interdum audet impugnare, sive a Carneadis illo summo bono ipse discedit (1), sive hæc Scipio in Cicerone de eodem Carneade : « Si ita sensit, ut loquitur, est homo impurus ; sin aliter, quod malo, » est oratio tamen immanis (2). » Liceat ergo Ciceroni Academicum servare dubitandi genus, si forte quæstio aliqua se ostendat in qua vel ipse Plato dubitandum arbitretur ; sed ne huic tantam injuriam inferamus ut existimemus Tullium, in tot et tantis operibus, de hac scientia quæ ad mores, quæ ad vitam civilem pertinet, ea quæ dixerit, vix sensisse, quæ affirmaverit rata non habuisse, et veritatem, dum ardenti animo defendere videretur, dubio incertoque pectore accepisse.

§ III.

Si quis autem de civitate scribere cogitaverit, primum statuet qui sit congregratæ hominum societati finis adscriptus, et inde cum prius de ipso homine certior fiat necesse est, quam de hominum cœtu, hoc ante omnia statuet, quem homini finem philosophia moralis statuerit. Nempe hoc nemo fere inter veteres philosophos prætermisit, ita ut octogenæ et ducentæ philosophorum sectæ de hac scientiæ moralis quæstione, D. Augustino teste, contenderint (3).

Quid igitur Tullius ? « Summum autem bonum, ait, si ignoretur, » vivendi rationem ignorari necesse est : ex quo tantus error conse- » quitur, ut quem in portum se recipiant, scire non possint. Cognitis » autem rerum finibus, cum intelligitur quid sit et bonorum extre- » mum et malorum, inventa vitæ via est conformatioque omnium » officiorum (4). » Hac auctoritate fulti, quid de finibus bonorum et malorum Tullius senserit, videamus.

Inter tot philosophorum opiniones, duas reperire est quæ a schola in urbem orbemque processerint, Romanæ incubuerint civitati, et dum pleræque temporis oblivione delerentur, incredibili quadam laude sæcula pervagatæ sint, Epicuri dico et Stoïcorum : quas Tullius defendi quidem a Torquato et Catone patitur, urget vero impugnatque dejicitque.

(1) De finibus, II, 13.
(2) De Rep. III, 16.
(3) De Civit. Dei, lib. XIX, 1.
(4) De finibus, V, 6.

Quid enim Epicurus? In hoc cum cæteris consentit, quod nullum finem homini præter beatam vitam assignandum esse putet : sed in hoc discrepat, quod beatam vitam in voluptate sitam esse profiteatur. Inde fit ut omnia referat ad voluptatem, ut nihil in virtute videat nisi voluptatis instrumentum, ut reginam virtutum dicat esse hanc prudentiam quæ in ἀταραξίᾳ consistat, quæ in calculorum quadam peritia, ne det pœnas in vita civili sapiens vel negotiis publicis implicetur, ut hæ denique leges homini constitutæ sint : voluptatem capiat unde nihil amari exoriatur, fugiat dolorem qui nullam voluptatem pariat, fugiat voluptatem unde fit ne qua major capiatur voluptas, dolorem sustineat unde fit ut majore aliquo dolore eximatur (1).

Non erat is Tullius, qui tales istiusmodi philosophiæ discipulos tot et tam incredibilia in luce Romanæ civitatis jactare pateretur : « Quos » nisi arguimus, ait, omnis virtus, omne decus, omnis vera laus » deserenda est (2). » Hoc enim ante omnia contendit nihil esse in doctrina Epicuri quod non sit hominis naturæ contrarium : nempe hic hominem coarctatum, hic truncatum et dimidiatum, mentis expertem voluntatisque, inclusumque in gaudendi ac dolendi facultate sensimus. Inde fit ut hanc unam facultatem intueatur ac foveat. « Nec » tamen ullo modo summum pecudis bonum et hominis idem mihi » videri potest. Quid enim tanto opus est instrumento in optimis artibus comparandis, quid tanto concursu honestissimorum studiorum, » tanto virtutum comitatu, si ea nullam ad aliam rem, nisi ad voluptatem conquiruntur?... Ad altiora quædam et magnificentiora, mihi » crede, nati sumus : nec id ex animi selum partibus in quibus inest » memoria rerum innumerabilium, inde quidem infinita inest conjectura consequentium, non multum a divinatione differens; inest » moderator cupiditatis pudor, inest ad humanam societatem justitiæ fida custodia, inest in perpetiendis laboribus adeundisque » periculis firma et stabilis mortis dolorisque contemptio (3). » — Atenim ab Epicuro quoque virtutis iter ostendi oblivisceris. — « Quid » necesse est, tanquam meretricem in matronarum cœtum, sic voluptatem in virtutum concilium adducere (4)? » Quid? virtuti moderandas cupiditates jubet : nihil haberem quod reprehenderem,

(1) De finibus I, *passim*.
(2) De finibus II, 14.
(3) De finibus II, 34. Cf. I, 7.
(4) De finibus II, 4.

dixit ille, si finitas cupiditates haberem. — « An potest cupiditas fi-
» niri? tollenda est atque extrahenda radicitus.... Ergo avarus erit,
» sed finite; et adulter, verum habebit modum, et luxuriosus eodem
» modo. Qualis ista philosophia est, quæ non interitum affert pravi-
» tatis, sed sit contenta mediocritate vitiorum (1)? » Rejicietur igitur Carneades (2), ne virtutes voluptatum satellites et ministræ fieri videantur, dum ille voluptati honestatem applicari æquum censet. Etenim « hi non viderunt, ut ad cursum equum, ad arandum bovem,
» ad indagandum canem, sic hominem ad duas res, ut ait Aristoteles,
» ad intelligendum et ad agendum esse natum, quasi mortalem deum:
» contraque, ut tardam aliquam et languidam pecudem, ad pastum et
» ad procreandi voluptatem, sic hoc divinum animal ortum esse vo-
» luerunt. Quo nihil mihi videtur absurdius (3). »

Quid ergo si doctrinam ex umbratili vita in medium forum protrahas? Quam exiguam, quam inanem, quam nullam deprehenderis! Scilicet « in vestris disputationibus historia muta est. Nunquam audivi
» in Epicuri schola Lycurgum, Solonem, Miltiadem, Themistoclem
» nominari (4). » Neque aliter fieri potest. Quis autem de Tullio mutam dicat historiam? Non erat ille qui rempublicam fugiendam disceret, cum in republica tractanda viverit et occiderit. Quid enim de civitate si grex Epicuri hanc invaserit? ubi Scipiones, ubi Quintus Maximus, ubi Cato, homo demens, ut isti putant, qui, cum cogeret eum necessitas nulla, in his undis et tempestatibus, ad summam senectutem maluit jactari quam in illa tranquillitate atque otio jucundissime vivere (5)? Etenim, cum virtus in usu sui tota posita sit, usus autem ejus est maximus civitatis gubernatio (6), rempublicam toto animo capessamus necesse est. Ne igitur vel ipse philosophus veniam sibi dari æquum censeat, si, dum scientiæ animum intendit, se ad vitam publicam administrationemque reipublicæ non instruxerit et accinxerit : « Equidem, ait ille, quemadmodum

Urbes magnas atque imperiosas,

» ut appellat Ennius, viculis et castellis præferendas puto, sic eos qui

(1) De finibus II, 9.
(2) De finibus II, 12.
(3) De finibus II, 13.
(4) De finibus II, 21.
(5) Cf. De Republica I, 1.
(6) Cf. De Rep. I, 2.

» his urbibus consilio atque auctoritate præsunt, his qui omnis negotii » publici expertes sunt, longe duco sapientia ipsa esse anteponendos (1). »

Nihil enim mirum, aiunt; neque parvum e republica tractanda emolumentum percipere est, neque hoc sapientis esse dicamus ut semper onus tantum detractare velit. Bene habet : num utilitas quoque in cruciatu, in exsilio, in morte conquiri solet? « Quid? fortes » viri, voluptatumne calculis subductis, prælium ineunt, sanguinem » pro patria profundunt, an quodam animi ardore atque impetu » concitati?... Num etiam... Decius..., cum se devoveret, et equo » admisso in mediam aciem Latinorum irruebat, aliquid de voluptatibus suis cogitabat (2)? » Neque tamen hanc Platonis sententiam Tullius secutus est futuros republicæ rectores, assuetos ad veri pulchrique effigiem contemplandam hunc primum ex educatione fructum percipere ne sponte sua lætique ac libentes ad quotidianam fori tractationem descendant. « Scilicet vult plane virtus honorem; nec » est virtutis ulla alia merces; quam tamen illa, inquit, accipit facile, » exigit non acerbe... Huic tu viro quas divitias objicies? quæ impe» ria? quæ regna? quæ ista putat humana, sua bona divina judicat. » Sed si aut ingrati universi, aut invidi multi, aut inimici potentes » suis virtutem præmiis spoliant? næ illa se multis solatiis oblectat, » maximeque suo decore se ipsa sustentat (3). » Descendamus igitur in forum : hoc sapientis est, hoc viri. Quid? nonne iras populares metuitis? At videmus triumphos quoque. Nonne exsilia? At tibi, Marce Tulli, reditus est quem atrocibus mercemur exsiliis. Descendite igitur dementes qui tot æterna exsilia, tot iras exitiales non perspexistis : jure vos procella torquebit cui obviam ferri non dubitaveritis.

Sed nonne saltem vos orare et obtestari liceat ut peculiarem quamdam propriamque civitatem exquiratis in qua viri boni colantur, secernantur, securique et tacite rempublicam adeant, obtineant, administrent? Quid sapiens tempus, curam, vitam incassum profundat, cum impuris atque immanibus adversariis decertet habenasque accipiat, cum insanos atque indomitos impetus vulgi cohibere non possit? Ignavam quidem inertis ac pavidi gregis excusationem! — Hinc arcent sapientem! « proinde quasi bonis et fortibus et magno animo præ-

(1) De Rep. I, 2.
(2) De finibus. II, 19.
(3) De Rep. III, 20.

» ditis ulla sit ad rempublicam adeundi causa justior, quam ne pa-
» reant improbis, neve ab iisdem lacerari rempublicam patiantur (1). »
At saltem in istiusmodi civitate vos legetis tempora, neque guberna-
toris instar imperiti, cœli ac siderum imprudentes, navim conscen-
detis. — Lepide quidem ac facete dictum! Videre est igitur qui, dum
sapientem tantum « si eum tempus et necessitas coegerit, » rebus
publicis applicandum judicant, ne hoc quidem suspicentur neminem
nisi præparatum ad rempublicam accedere, neque animadvertant
nunquam a consule Tullio Romam potuisse servari, nisi prius quæs-
turam ædilitatemque, quam temporibus cogeretur agilis fieri, noster
obtinuisset (2). Neque solum in tempestate gubernator vel in pertur-
batione reipublicæ consul eligitur! Semper paratum civem habeat
respublica necesse est, qui bene fultam servet, labantem fulciat, lap-
sam restituat.

Stoicorum quidem Tullius de finibus bonorum ac malorum parti-
bus adhæsisse, neque, cum tot et tanta in Epicuri sectam congesserit,
in alium portum confugere potuisse videatur. Eum enim a fœdere
ineundo minime remotum invenias, cum hoc persuasum habeat ut
in omni hac quæstione quæ de bonis et malis appelletur, non sit re-
rum Stoicis cum peripateticis controversia, sed nominum (3). Quod
autem cum acriter Cato neget, Catoni ac Stoicis adversandum Tullius
arbitratus est.

Multa quidem in Stoicorum philosophia præclara deprehendimus,
cum apud Romanos ita valuit ut seminarium quoddam magnorum
civium jurisque consultorum virorum et magistrorum reipublicæ in
lucem ediderit, ferme inter suos illigatum Ciceronem irretiverit.
Sic enim beatos homines fore contendebat, si convenienter naturæ
viveretur. Inde vitam instar pugnæ factam esse dixit : scilicet nobis-
cum perpetuum hostem gerimus, id est, pectus libidinibus incensum
quas temperare parum est, nisi in æternum restinguamus. Libertas
adjutrix in tanto certamine, libertas expetenda, conquirenda, in in-
finitum provehenda : ejus enim triumpho omnia referuntur, quo-
niam hic bonum situm est, hoc est, in cupiditatum internecione, ni-
mirum in virtute, quæ maxime cupiditatum impetum cohibet. — Ate-

(1) De Rep. I, 5.

(2) Cf. De Rep. I, 6.

(3) Cf. De finibus III, 3, 13, etc.

nim peripatetici putant virtutem, si dolor absit, potius expetendam quam doloris virtutisque societatem. — Scilicet. « ut obscuratur et offunditur luce solis lumen lucernæ... sic, cum sit is bonorum finis » quem Stoici dicunt, omnis ista rerum in corpore sitarum æstimatio » splendore virtutis et magnitudine obscuretur et obruatur necesse » est (1). Tum autem quam magnifica, quam constans conficitur persona sapientis! Qui, cum ratio docuerit, quod honestum esset, id » esse solum bonum, semper sit necesse est beatus, vereque ista nomina possideat, quæ irrideri ab imperitis solent (2). »

Hoc primum apud Stoicos laudandum est quod quem finem homini adscribere velint, in humana quærendum natura professi sint : quod ita neglexerat Epicurus ut homini finem extra naturam humanam quærere et constituere non dubitavisset. Quid autem? quis eos via, quam semel ostendere, deflexisse non senserit? Quum convenienter naturæ vivendum rati sint, quin naturam diligentius introspexere? quin plerosque affectus in nobis positos agnoverunt? « Uno modo, » noster ait, in virtute sola solum bonum recte poneretur, si quod » esset animal quod totum ex mente constaret (3). » Naturam, quæso, cui convenienter vivatis, intueamini : « Omnis enim est natura diligens sui. Quæ est enim quæ se unquam deserat aut partem aliquam » sui?... Quomodo igitur evenit, ut hominis natura sola esset, quæ » hominem relinqueret, quæ obliviscetur corporis, quæ summum » bonum, non in toto homine, sed in parte hominis poneret (4)? » Neque enim vestrum est hoc munus ut hominem ad arbitrium vestrum fingatis : quid? Non sapientia genuit hominem, sed accepit a natura inchoatum (5). Nempe, ut præclare dixit, « quæsita virtus est non » quæ relinqueret naturam, sed quæ tueretur...; ergo id est convenienter naturæ vivere, a natura discedere (6)? »

Neque tamen, ut supra diximus, bellum apertum cum Stoicis quos interdum alias vix correctione quadam adhibita sequitur, Tullius noster gerendum esse putat : immo, dum Catoni adversatur, invitus videtur adversari. De verbis Chrysippum disputare credit, qui cum

(1) De finibus III, 14.
(2) De finibus III, 22.
(3) De finibus IV, 12.
(4) De finibus IV, 13.
(5) Cf. De finibus VI, 13.
(6) De finibus IV, 15.

eadem a peripateticis expetenda, eadem a Stoicis sumenda potius vocari existimet, quærat quid intersit divitias, opes, valetudinem *bona* dicas, an *præposita*, « cum ille qui ista bona dicit, nihilo plus his tribuit » quam tu, qui eadem illa præposita nominas (1). » Quæ est igitur causa istarum angustiarum? « gloriosa ostentatio in constituendo » summo bono (2). » Sic nihil congruere naturæ nisi honestum, sic nihil aliud expetendum Stoici contendunt. Neque forsan immerito Carneades ac Tullius quidquam in hac disputatione, nisi verborum controversiam viderunt : quanquam si quis hæc de summo bono profiteatur, ad hanc Stoicorum opinionem, omnia peccata paria esse, profecto quoque descendat. Quæ sententia « omnino aditum habere » nullum potest in Urbem, in Forum, in Curiam (3). » Inde fit quoque ut sapiens quidam culpa vacuus, is est, extra morem humanum vivendi positus excogitetur. Vos ergo « quia virtus, ut omnes fatemur, » altissimum locum in homine et maxime excellentem tenet, et quod » eos, qui sapientes sunt, absolutos et perfectos putamus; aciem ani- » morum nostrorum virtutis splendore præstringitis. » Quis enim ad virtutem, si hanc quadam inaccessa in regione collocet, genus humanum alliciat?

Quæ cum ita sint de finibus bonorum et malorum, miror equidem quonam pacto tot stoicos mersos undis civilibus, fortiterque capessentes rempublicam reperiamus? Cum enim libertatem sapiens unice diligit, liberque semel nullis vinculis se constringi posse existimat, non absurde fieri potest quin libertatem rebus publicis, si vel minimum ita coerceri putet, unquam sinat irretiri. Quod autem prætermisit Tullius, quippe qui sciret hoc Stoicorum esse proprium quod vim et Ἐπίτασιν in agendo commendarent ideoque spectarent ad civilia, et, ut ita dicam, virtutem foras projicerent, immo Stoicos multa et magna de societate humani generis graviter dixisse, quæ ad civile officium pertinerent. Sed alia quoque prætermisisti. Nonne hi sunt, Marce Tulli, qui arroganter intempestiva in amicum ordinem decernant? qui « curent constantia magis et integritate quam... consilio et » ingenio (4) ? » qui bonos inopportune ac superbe plectendo prohi-

(1) De finibus IV, 9.
(2) De finibus IV, 25.
(3) De finibus IV, 9.
(4) Att. I, 18.

beant ne rempublicam concursu tueantur (1)? qui, ne mercede conductos reipublicæ defensores habeant, nullos habere velint (2) ? qui denique dicant, tanquam in Platonis πολιτείᾳ, non tanquam in Romuli fæce sententiam (3) ? qui gloriam nihili faciant et inde publicam opinionem populique voces stolide contemnant? qui, dum se nunquam falli in judicando (4) credunt, in se totam civilem scientiam contineri existiment, et inde nunquam a sententia discedere se æquum censeant? qui tibi, Antonium dejicienti, dum qui sit habitus rerum haudquaquam intelligunt, hæc et talia audeant scribere : « Vestri miserebor » quibus nec ætas neque honores neque virtus aliena dulcedinem » vivendi minuere potuerit (5) ? » immo qui, dum Cæsar vincit, ideo mortem jure oppetendam censeant, quia « in quo plura sunt, quæ » secundum naturam sunt, hujus quidem officium est in vita ma- » nere; in quo autem aut sunt plura contraria, aut fore videntur, » hujus officium est e vita excedere, (6) » nec se patriæ servent, cum iterum de salute reipublicæ dimicabitur? Hæc igitur, si Catoni suo Tullius objicere noluerit, nihilominus in Stoicorum doctrina de finibus bonorum et malorum abdita perspexit, et inde, dum ab Epicuri philosophia abhorreret, nihilominus commisit ut secta Zenonis illigaretur.

Stoicos quidem recte sensisse Tullius ratus est, qui primum ab hominis natura in summo bono investigando proficiscendum existimaverant, deliquisse autem judicavit, qui hominem, dum vellent observare, ad arbitrium suum finxerant. Ergo se ad peripateticos contulit, ut ipse ad Atticum scribit : « Quæ autem his temporibus scripsi » Ἀριστοτέλειον morem habent, in quo sermo ita inducitur cæterorum » ut penes ipsum sit principatus. Ita confeci quinque libros περὶ » τελῶν (7). » Pisonem enim exhibuit cui, pauca licet objecerit de necessaria sapientis absolutaque felicitate, se nihilominus in summa doctrina περὶ τελῶν soclum adjecit; dum hæc simul, verbo tenus, Acade-

(1) Att. II, 1.
(2) Att. II, 1.
(3) Att. II, 1.
(4) De finibus III, 18.
(5) Epistol. ad Brutum, 21.
(6) De finibus III, 18.
(7) Att. XIII, 19.

mica : « Quis enim potest, inquit, ea quæ probabilia videntur, non » probare (1)? » Περιπατητικά igitur loquentem exaudiamus.

Hominem perscrutemur : quem autem hominem? repetamusne ab incunabulis? id profecto quidam, vel temporibus illis, laudaverant, cum Tullius hunc morem vehementer increpuerit : « Nunc vero, ut » ait, a primo quidem mirabiliter occulta natura est, nec perspici » nec cognosci potest (2). » Hanc igitur naturam investigemus quam sapiens minime a se alienam putet, et, cum doceamus homini id esse in bonis ultimum, secundum naturam vivere, hoc ita interpretemur « vivere ex hominis natura undique perfecta et absoluta (3). » Neque tamen, dum quærimus perfectam, divinam excogitemus, dum intuemur cœlestem animum, corpus mortale ac terrestre obliviscamur : « Omnis natura vult conservatrix esse sui (4) » : neque partem negliget alteram, dum alteram in majus provehet. Hæc est undique completa et perfecta explicatio summi boni, si omnia in corpore, in animo omnia perfecta esse velimus.

Quid autem sapiens? num hic sistat? num humanæ dignitati ac naturæ ita satisfieri judicet? Num eadem corpori, eadem animo tribui æquum censeat? Scilicet hoc hominis proprium est, quod, cum sit ex corpore et animo compositus, corpus animo subjiciat; ita fiet ut animi virtus corporis virtuti anteponatur (5). Cum autem is est animus ut in eo mens emineat, cum ea mens ut virtutes naturales contineat quæ in nobis sponte sua crescere videantur, ac voluntarias quas homo veritatem exquirendo augeat colendoque absolvat, mentem quamprimum perfectam quæramus, animique virtutes non voluntarias vincant virtutes voluntariæ necesse est : « quæ quidem pro» prie virtutes appellantur, multumque excellunt, propterea quod » ex ratione gignuntur qua nihil est in homine divinius (6). » Cum igitur hanc de finibus bonorum et malorum Socraticam doctrinam esse contenderit Varro homini adipiscenda omnia natura et animo et corpore et vita, his in corpore positis rebus, valetudine, viribus, pulchritudine, his in vita quæ ad virtutis usum valerent, his in

(1) De finibus V, 26.
(2) De finibus V, 15.
(3) De finibus V, 9.
(4) De finibus IV, 7.
(5) De finibus V, 13.
(6) De finibus V, 13.

animo quæ essent ad comprehendendam ingeniis virtutem idoneæ (1), hoc tamen velit noster ut quemadmodum stellæ in radio solis, sic cætera in virtutum splendore ne cernantur quidem ; neque dubitandum sit quin omnes motus fortunæ mutationesque rerum et temporum leves et imbecillos fore sapiens intelligat, si in virtutis certamen venerint (2).

Quem igitur virum, duce Tullio, deprehendamus in luce media, sequitur ut videamus. Neque enim hoc, ut arbitror, dubitari potest quin, hominis fine proposito, necessaria quadam lege homo quidam excellens et absolutus in oculis repente proponatur : quam effigiem, sicut ipsam veri ac pulchri speciem contemplemur necesse est. Sic enim, dum civem optimum, perspecto hominis fine, quærimus, sensim instruere civitatem aggredimur.

§ IV.

Hunc vero finem, dum Tullius, ut videtur, hominibus adscribit, utrum cæcis an liberis hominibus adscribit. Hoc primum quæramus necesse est an sapiens ille vir qui rationis auspicio et ductu veritatem petit, sponte sua petat. Quam si fato coactus exquirat et ineluctabili quadam lege amplectatur, quid sequamur virum ? quid tantis tenebris emergentem ostendamus ? Non autem is erat Tullius qui, dum ipse publicis rebus immisceretur, dum pessimorum artes et in rempublicam arcana scelera perspicereret, dum ipse ultro mediis in procellis versaretur, genus humanum fato servire crederet. Quem semper de humana dignitate, nunquam de humana servitute verba facientem audivimus.

Quid enim nuper, cum de virtutibus ageretur ? Nempe Tullius duo genera esse virtutum ait, quarum divisio ex libertate repetitur. Hinc enim non voluntariæ, hinc voluntariæ sunt, quæ quidem, ut supra diximus, « proprie virtutes appellantur. » Quis igitur vim singularem libertatis manifestius agnovit ? Cum enim hoc veterum proprium sit quod si quis magno ingenio præditus vir appareat, natura insitas dotes quamprimum admirentur, et, ut ita dicam, parentem naturam in summo opere exsultantem colant, infirmum vero imbecillumque

(1) Academ. II, lib. I, 5.
(2) De finibus, V, 24.

hominem et ægre arduum virtutis iter taciteque scandentem contemnant, valde probandum Ciceronem reor qui voluntate omnes homines æquari, et inde in voluntariis virtutibus virtutem sitam intellexerit. Ita civem optimum quærere poterit, ita virtutes ejus describere, quæ, nisi voluntate proficiscantur, nullæ sint. Recte igitur hæc in libris de Fato : « Non enim, si alii ad alia propensiores sint propter » causas naturales et antecedentes, idcirco etiam nostrarum voluntatum atque appetitionum sunt causæ naturales et antecedentes. Nam » nihil esset in nostra potestate, si res ita se haberet (1). » Quid aliud nisi ut nobismetipsis causam, quæ per se moveatur et nullo ex arbitrio pendeat, inesse profiteatur? Hæc etiam in philosophia morali præclara : « Stilponem Megaricum philosophum, acutum sane hominem » et probatum temporibus illis accepimus. Hunc scribunt ipsius familiares et ebriosum et mulierosum fuisse; neque hoc scribunt vituperantes, sed potius ad laudem. Vitiosam enim naturam ab eo sic edomitam et compressam esse doctrina, ut nemo unquam vinolentum » illum, nemo in eo libidinis vestigium viderit... Sed hæc ex naturalibus causis vitia nasci possunt : exstirpari autem et funditus tolli, » ut is ipse, qui ad ea propensus fuerit, a tantis vitiis avocetur, non » est id positum in naturalibus causis, sed in voluntate, studio, disciplina (2). » Libertatem igitur in excelsa sede positam confiteamur necesse est.

Immo videas qui nimis excelsam putent, quippe qui cum dei præscientiam hominisque libertatem inter se congruere posse non intelligerent, alterutram deserendam rati sint. Libertatemne Tullius deserat? D. Augustinum audiamus : « Quod si ita est, nihil est in » nostra potestate, nullumque est arbitrium voluntatis : quod si concedimus, inquit, omnis humana vita subvertitur, frustra leges » dantur, frustra objurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes » adhibentur, neque ulla justitia bonis præmia et malis supplicia » constituta sunt (3). » — Atenim eligas oportet. — « Ipse itaque, ut » vir magnus et doctus et vitæ humanæ plurimum ac peritissime » consulens, ex his duobus elegit liberum voluntatis arbitrium : » quod ut confirmaretur, negavit præscientiam futurorum, atque

(1) De fato, 5.

(2) De fato, 5.

(3) De Civitate Dei, lib. V, c. IX, 2.

» ita, dum vult facere liberos, facit sacrilegos (1). » Nempe ita erat : cum Tullius hanc in libris de Divinatione Stoicorum opinionem « quæ » connexionem causarum ex Dei voluntate pendentem fati nomine » appellat (2) » vehementer increpuit (quid enim attinet inculcare fato, cum sine fato ratio omnium rerum ad naturam fortunamve referatur (3)?), negavit in iisdem libris futuri quidquam vel a Deo perspici posse (4) ; neque sensit « confiteri esse Deum et negare præs- » cium futurorum apertissimam insaniam » esse (5). Inde fit ut dubitari posset an Tullius, cum ardenti animo liberum hominem esse professus est, libertatemque vehementer defendit, immo semper humanas artes, humana consilia in terrarum orbe Romano perspicere et regere, ideoque acriorem quamdam dignitatis humanæ sententiam in medium proferre solitus est, liberis hominibus consulenti divinæ Providentiæ crediderit. Balbum enim e Stoicorum secta producit, qui mundum animo perlustret ut ubique præsentem Deum in minimis rebus deprehendat (6). Cottam autem paulo post ex Academiæ novæ castris adversus Balbum præmittit qui Stoicorum de Providentia δόγματα refellat. Addamus quidem necesse est sic verba finiri ut cuidam Epicuri discipulo Cottæ disputatio verior, Tullio Balbi ad veritatis similitudinem videretur esse propensior (7). Inde fit ut Carneadis instar ego quoque de Tullii sententia ambigendum esse putem; neque saltem, cum in theatrum inducat hominem liberum, at semper Deum ex oculis subducere videatur, credam eum summas partes in rerum publicarum ordine componendo et motu conficiendo Deo dedisse.

Inde fit ut cum perturbationes civitatum vel ipsa Romæ incrementa Tullius perspiciet, si quando majorum cultu et moris antiqui religione obstrictus, a primo Urbis ortu « comitia, provocationes, patrum con- » silium, equitum peditumque descriptionem, totam rem militarem » divinitus esse constituta (8) » profitebitur', progressionem tamen

(1) De Civitate Dei, lib. V, c. IX, 2.
(2) De Civitate Dei, lib. V, c. IX, 1.
(3) De fato, 3.
(4) V. De divinatione II, passim.
(5) De Civitate Dei, lib. V, c. IX, 1.
(6) De Natura Deorum, II, 65.
(7) De Natura Deorum, III, 60.
(8) Tusculanarum disput. IV, 1.

admirabilem incredibilemque cursum ad liberorum hominum industriam, virtutem, fortitudinemque referat. Non Deum terrestribus consiliis immixtum ostendet, non cœlo coget descendere, neque, ut fit sæpius, ad suum arbitrium facilem quemdam et humanum, ut ita dicam, deum finget, sed res humanas ab humanis causis omni ope repetere tentabit. D. Augustinum audiamus. Quid servitus in terris? in Deum peccata luunt homines. Quid bella? contunditur a Deo victarum partium superbia. Quid Romani rempublicam e tenuissima splendidissimam fecerunt? Quærendum est « quibus modis antiqui » Romani meruerint ut Deus verus, quamvis non eum colerent, » eorum augeret imperium (1). » Hæc et talia sanctus episcopus, quippe qui in cœlestium rerum contemplatione assidue versetur; Tullius vero longe aliud de humanis consiliis, utpote rebus humanis deditus, iter disserendi suscepit: quod videlicet summæ disputationis genus ex Tullii sententia quæ de libertate exposita est, pendere existimavimus.

Cum igitur homo liber finem petit, quem ostendimus consentaneum esse naturæ, cum ad hanc effigiem sapientis ei quam proxime liceat accedere, nihil obstat quominus in viam a Tullio patefactam nos committamus.

§ V.

Si quis de vita civili scribere velit, quærat primum quo pacto, finibus bonorum et malorum inventis, supremum mentis humanæ bonum hac in vita perficiatur. Virtuti autem, quam liberi amplectimur, junctum officium accedat necesse est, *cum debeamus amplecti, si possimus*. Etenim « nulla vitæ pars neque publicis, neque privatis, neque » forensibus, neque domesticis in rebus, neque si tecum agas quid, » neque si cum altero contrahas, vacare officio potest (2). » Quæ cum ita sint, difficile est credere, quod quidam contenderunt, magno labore ac sudore esse annitendum, et humanæ acriter, ut ita dicam, obstandum naturæ ut officio nos tandem subjicere possimus. Nempe officii fundamentum est in honesto positum. Neque dicitur « honestum esse, quia laudatur a multis, sed quia tale sit, ut, vel si ignorarent id homines, vel si obmutuissent, sua tamen pulchritudine

(1) De civitate Dei, L. V. C. XII.
(2) De officiis I, 2.

» esset specieque laudabile (1). » Honestum autem, cum natura debemus appetere, necesse est, si per se est appetendum, ab ipso humanæ naturæ fonte repetamus : quod si quibus ex rebus confletur quæremus, ex illo statu animi quo homo gaudet liberorum procreatione ac societate hominum fruitur, verumque indagatur, et appetitione quadam sive libertatis sive principatus movetur, et quid sit ordo omni ope exquirit, descendere intelligemus (2). Quid aliud est nisi ut declaremus legem quamdam institutam esse omnibus humanis affectibus, ut mentis nostræ singulæ partes in majus proveherentur? quam si sequeremur, absolutam hanc mentis humanæ perfectionem, quæ in virtute sita est, tetigissemus.

In quatuor autem virtutes honesti naturam vimque dividamus, perspicientiam veri sive sapientiam, justitiam, animi magnitudinem et moderationem (3). Quam si divisionem sensim pedetentimque sequi et legere nec vacet nec libeat, pauca tamen de justitia dicamus necesse est. Noster enim in officio justitiam secernit, et, Aristotelis instar, summam in civitate virtutem esse docet, nam id est justitiæ proprium ut semper ad cæteros spectet et tota foras projecta sit atque emineat (4). Sapientis autem viri hoc est peculiare quod, veri indagator et inventor, justitiæ simul obtemperet, dum sublimes meditationes cum cæteris communicet, utpote qui sic profuerit suis, sic generi humano. Nec modo vivus proderit, sed etiam mortuus, cum sacer et magnus labor in discendo docendoque stet ac vigeat, nedum eodem tumulo, quo corpus, sepeliatur. Quid autem si doctrina instructus ad mutua societatis officia se contulerit (5)?

Nempe ita est : ut naturali hominum societate constitutam civitatem mox agnoscemus, sic in civitate hæc est præcipua virtus ut communes utilitates in medium conferamus mutatione officiorum. Hæc igitur duo sunt munera justitiæ, ne cui quis noceat nisi lacessitus injuria, deinde ut communibus pro communibus utamur, privatis ut nostris. Inde fit ut civis optimus imprimis cavere debeat ne rapiatur ambitione vel avaritia, quæ publicas res et privatas, æquas et iniquas, divinas et humanas permiscere ac pervertere solent. Is enim quem

(1) De finibus, II, 15.
(2) V. De officiis, I, 4.
(3) De officis, I, 2.
(4) V. De officiis, I, 3.
(5) V. De officiis, I, 44.

vexat avaritia, is quem torquet ambitio, ecquando sui immemor, ecquando ad publica conversus est? Neque se perfunctum officio credat qui nemini nocuerit! Hominibus opem et auxilium ferat, homines artibus, opera, facultatibus adjuvet : nam quid prodest abstinere rebus alienis, quid faces incendio non admovere, si omnia flammis comburi patiamur? Hi autem patiuntur quos desidia tenet, hi quos nimius amor sui, prorsus quidem indigni qui inter cives adnumerentur. Scilicet caritate quadam impulsi in medios prodeamus necesse est, ultro cæteris obvii feramur, immo necessario quodam vinculo beneficentiam justitiæ conjunctam ostendamus : nam justitiam qui finibus angustis includit, qui compressam alligatamque stricto jure existimat, hac homines consociari, hac impelli ut se invicem diligant obliviscitur : quis autem humanam caritatem coarctari et alligari posse putet? Justitiæ igitur beneficentia conjuncta est, his tamen legibus, ne obsit benignitas (quare Sullæ et Cæsaris pecuniarum translatio a justis dominis ad alienos non debet liberalis videri; nihil est enim liberale quod non justum); ne major sit quam facultates, nam inde injuria in proximos redundet; hac denique lege ut si quis maxime opem meruerit, si quis maxime opis indigeat, ei potissimum opitulemur (1).

Omnibus autem, quantum licet, opitulandum est : hic enim Stoïcorum interpretem probare ac laudare liceat qui, dum oracula sapientiæ humanæ ederet, præcepta Christianæ religionis spargere ac disseminare cœperat. Dum ex umbratili Stoicorum schola secta quædam nasceretur juris custodum et sacerdotum, qui mox in terrarum orbe Romano servitutem contra naturam institutam esse profiterentur, hæc Tullius : « Meminerimus autem etiam adversus infimos justitiam » esse servandam. Est autem infima conditio et fortuna servorum » quibus non male præcipiunt qui ita jubent uti, ut mercenariis, » operam exigendam, justa præbenda. » Quid autem adversus inimicos, cum sit *vindicta bonum vita jucundius ipsa?* Ut inter cives, ita inter populos modus ulciscendi sit ac puniendi : quid enim tetrius quam civitatem privatis, quam mundum publicis odiis disturbari? Ne quis nisi coactus inimicitias suscipiat; bella autem, bella nefaria proprium est belluarum sine necessitate gerere. Quid aliud Christiani, cum hæc ipse D. Augustinus : « Sicut est nemo qui gaudere

(1) V. De officiis, I, passim.

» nolit, ita nemo est qui pacem habere nolit... Omnis enim homo » etiam belligerando pacem requirit, nemo autem bellum pacifi- » cando (1). » Vetat episcopus injusta bella : bella vetat Tullius, nisi cum de salute agitur aut injuria propulsanda. Tunc autem, vel æstuante bello, belli æquitatem et bellica jura retineamus; tunc, bello peracto, vel quamvis murum aries percusserit, iis, quos vi devicerimus, consulendum est. Erret enim qui beneficentiam in amicitia sola vident, quamvis nihil sit amabilius nec copulatius quam morum similitudo bonorum et jure id efficiatur quod Pythagoras vult in amicitia ut unus fiat ex pluribus; vel in societate propinquorum quæ spectat in nos solos neque aliud ullum potest habere perfugium; beneficentia in patriam quoque exercenda est, quæ omnes omnium caritates una complectitur, immo exercenda in humanum genus quod latissima quadam societate devinctum confiteamur necesse est (2).

Hæc vis est justitiæ, hæc virtus peculiaris quod ea sublata, cæteræ virtutes tollantur. Quid enim magnitudo animi sine justitia? In audaciam, in ambitionem labitur. Summovendos quidem viros et ejiciendos e republica ! Magnanimus autem vir duabus rebus maxime cernitur, quarum altera in rerum externarum despicientia sita est, altera in rerum publicarum administratione : quam Stoicorum sententiam Tullium toto animo arripuisse demonstravimus. Scilicet quibus vis quædam invicta non obstiterit quominus rempublicam capesserent, « si despicere se dicant ea quæ plerique mirentur, imperia et magis- » tratus, iis non modo non laudi, verum etiam vitio dandum puto. » Neque enim insana gloriæ cupidine, sed pietate quadam sancta in patriam humanique generis societatem allicimur, ut adipiscamur magistratus et rempublicam geramus. Gloriæ igitur jacturam civis optimus faciat; exsulet, si postulet respublica, cunctetur, si cunctando restituat rem; neque quid sentiat invidiæ metu claudat id pectore. Sedet ad gubernacula sapiens, serena fronte, nec tumidus in prosperis, timidus in adversis, sed eodem semper vultu, pari constantia fortunam in utramque accinctus, adulatoriæ inimicus cohorti, futura vigilantibus oculis perlustrans, expers metus, voluptatis inscius ; non se, dum ingruunt procellæ, vanis imaginibus ludi sinit, non animum abjicit, non furit in medio discrimine, sed tempestati tranquille sub-

(1) De Civitate Dei, l. III, c. III, 1.
(2) V. de Officiis I, passim.

venit, neque civitatem quo periculo modo jactata sit, vel suspicari patitur. Hæc enim duo præcepta tenet, « unum, ut utilitatem civium » sic tueatur ut quæcumque agit ad eam referat, oblitus commodo- » rum suorum; alterum, ut totum corpus reipublicæ curet, ne, dum » partem aliquam tueatur, reliquas deserat. » Utrum autem hic pro- ponamus militem an togatum? Quis militem dicat? quis hic belli cruentam effigiem proferat? Christianum audite : « Sed sapiens, in- » quiunt, justa bella gesturus est. Quasi non, si se hominem meminit, » multo magis dolebit justam necessitatem sibi exstitisse bellorum : » quia nisi justa esset, ei gerenda non essent, ac per hoc sapienti » nulla bella essent (1). » Nihil aliud Tullius : « Illud autem optimum » est in quod invadi solere ab improbis et invidis audio : *Cedant ar-* » *ma togæ*... Temere enim in acie versari et manu cum hoste con- » fligere immane quiddam et belluarum simile est. » Inde fit ut falsa sæpius de laude militari in vulgo jactentur : « cum ejusmodi res, etiam » cum leguntur, obstrepi clamore militum videntur et tubarum so- » no (2). » Parvi enim sunt foris arma, nisi est consilium domi; unde sapiens, ut corpus ad mentis arbitrum fingit et flectit, sic rationem, quæ abhorret a bello, ducem pacis, magistram consiliorum, civitatis reginam constituet.

Sequitur ut de moderatione pauca dicamus : quid enim deceat, qui sit vitæ modus, sapientem nosse omnibus ratum et compertum est. Quid sit in vita τὸ πρέπον, scimus experti : voluptates conculcandas, hominis mentem discendo ali et cogitando. Placet igitur in forum descendere : hic, quomodo foras projiciatur et in media luce appareat moderatio, hæc est, scientia opportunitatis idoneorum ad agendum temporum videbimus : « Ut enim in fidibus aut in tibiis, quamvis » paulum discrepent, tamen id a sciente animadverti solet : sic viden- » dum est in vita ne forte quid discrepet vel multo etiam magis quo » major et melior actionum quam sonorum concentus est (3). »

Hoc primum in vita publica est : naturæ, ingenio, viribus tuis consentaneas partes suscipe : nam quid absurdius quam naturæ re- pugnare et id sequi quod assequi non valeas. Quatuor autem, ut ita dicam, induimus in hac vita personas, quippe qui humani nihil a

(1) De Civit. Dei, l. XIX, c. VII.
(2) Pro Marcello, 3.
(3) De Officiis I, 41.

nobis alienum putemus, humanæque naturæ lege vincti, virtuti magistræ subditi vivere debeamus. Supervenit autem peculiare ingenium : quis neget? quis Ulixem et Ajacem eodem ingenio præstitisse putet? quis Catonem, Pompeium, Cæsarem informatos ut munus idem in eadem scena explerent? Tertia adjungetur persona, quam tempus imponit; quarta, quam nostra voluntas : Demosthenes Atheniensis tempore, orator libera voluntate. Summa autem quædam ex quatuor diversis personis persona efficitur quam civis optimus pari constantia et dignitate sustineat necesse est. « Omnino enim si quic- » quam est decorum, nihil est profecto magis quam æquabilitas uni- » versæ vitæ, quam conservare non possis, si aliorum naturam imi- » tans omittas tuam. » Quod utinam, senescente ac fatiscente republica, desultores bellorum civilium meminissent! « Qui ad naturæ » suæ non vitiosæ genus consilium vivendi omne contulerit, is cons- » tantiam teneat (id enim maxime decet) nisi forte se intellexerit » errasse in deligendo genere vitæ. » Sua sunt enim ætati cuique, sua cuique descripta civi munera : juvenes armis, senes prudentia et consilio rempublicam adjuvent. Magistratus intelligat se gerere personam civitatis, privatus æquo et pari cum civibus jure vivat : qui autem ad gubernacula sedebit vel minima curet, verba, vestem, domum; nam minima quoque in potentibus spectari solent : domum colat amplam clientiumque capacem, sed ita tamen ut domus a domino, non domo dominus honestetur. Hoc enim in quatuor virtutibus præcipuum est ut per se honestas expetatur, unde fit ut civem optimum vel in angusta domo, vel populo ignorante, vel contemnente et proculcante, quærere liceat ac reperire (1).

Errat, nihilominus errat qui putat ideo nos a vulgo ignorari aut contemni quia virtuti inservimus. Scilicet, cum versuti et callidi rerum publicarum scriptores occultissimis et teterrimis fraudibus homines ea, quæ velint, consequi posse contendant, Tullius Romanos docet quæ ad honestatem, eadem ad vitæ publicæ rationes utilitatesque pertinere.

Cum nihil sit homini homine utilius, hoc primum in vita civili faustum ac felix optimo civi contingit ut, dum civium commodis ac saluti se totum dedit, quam plurimi ab his æstimetur, quo nihil commodius inveniri aut excogitari potest. Sic enim maximam capere gloriam incipimus, quæ quidem constat ex tribus his, si nos diligit

(1) De Officiis I, passim.

multitudo, si fidem habet, si cum admiratione quadam honore dignos putat. Quid igitur caritate firmius, cum ad cives tuendos, tum ad regna stabiliendia? Hanc autem caritatis aiunt esse causam, si multitudo commoveatur ipsa fama et opinione liberalitatis, beneficentiæ, justitiæ, fidei, omniumque earum virtutum quæ pertinent ad mansuetudinem morum ac facilitatem. Quæ causa fidei? Si existimabimur adepti conjunctam cum justitia prudentiam; quarum si deest altera, de imperitia queri solent aut malitia, nisi forte, quo quis versutior et callidior est, hoc esse negent suspectiorem, detracta opinione probitatis. Hæc et talia de populari admiratione. Ut nemo suspicitur qui voluptatibus, blandissimis dominis a virtute detorqueatur, aut, dolorum, cum admoventur faces, præter modum exterreatur; sic « nemo » justus esse potest, qui mortem, qui dolorem, qui exsilium, qui » egestatem timet, aut qui ea quæ sunt his contraria æquitati ante» ponit. » Hic luce justitiæ popularem eam vitam illuminari confiteamur necesse est. Jure igitur D. Augustinus hoc titulo unum libri sui de Civitate Dei caput inscribebat : ***Quam similia sint latrociniis regna absque justitia***, cum « regni tantum nomen con» ferat addita impunitas, placiti lege præda dividatur (1).» Jure hæc Tullius : « Ille autem, qui archipirata dicitur, nisi æquabiliter » prædam dispertiat, aut interficiatur a sociis aut relinquatur. Quin » etiam leges latronum esse dicuntur, quibus pareant, quas obser» vent (2). »

Vias autem ad gloriam compendiarias enumerare facile est. Clarus pater adjuvat, cum eadem de filio bene sperentur, cum in hunc oculi omnium conjecti sint et nullum obscurum possit nec dictum ejus esse nec factum. Adjuvant bellicæ res; nam belli rumores avide captat populus laudisque militaris insano quodam amore capitur. Adjuvat modesta quædam in clarissimos cives reverentia; nam facillime et in optimam partem cognoscuntur adolescentes qui se ad sapientes viros bene consulentes reipublicæ contulerunt. Adjuvat potissimum eloquentia : redeunt enim in memoriam Tulliana prima fori stipendia, præteritique anni, cum Roscium Amerimum defenderet aut in Verrem inveheretur. « Maxima est, ait, admiratio in judiciis. Nam et » accusatione et defensione constat : quarum etsi laudabilior est de» fensio, tamen accusatio probata persæpe est.... Modus tamen adsit.

(1) V. De Civitate Dei, l. IV, C. 4.
(2) De Officiis II, passim.

» Duri enim hominis vel potius vix hominis videtur capitis periculum » inferre multis.... Maxime autem et gloria paritur et gratia defensio- » nibus; eoque major, si quando accidit, ut ei subveniatur qui po- » tentis alicujus opibus circumveniri urgerique videatur. » Civis autem optimus nocentem defendere poterit : vult multitudo : mos patitur : fert etiam humanitas : innocentem nunquam accusabit : nam « quid est tam inhumanum quam eloquentiam a natura ad salutem » hominum et ad conservationem datam, ad bonorum.... perniciem » convertere? » Hic totus Cicero : hic spirat, hic vivit, magister fori, rector judiciorum; hac vita, hac voce competitorum largitionibus obstabat; hac vita, hac voce, ciebat milites qui rempublicam morientem defenderent (1).

Nihil autem aptius ad partes bonorum amplificandas quam beneficentia; cujus ratio duplex est, cum in opera aut pecunia consistat : altera ex arca, altera ex virtute : sed largitio « quæ fit ex re familiari » fontem ipsum benignitatis exhaurit. At qui opera, id est, virtute » et industria benefici et liberales fuerunt, primum quo pluribus » profuerint, eo plures ad benigne faciendum adjutores habebunt. » Quæ sæpius utinam largitioni anteponeretur! Indignum enim ac flebile tunc omnium oculis spectaculum obversabatur, cum Romani magistratus, effusis furiosa liberalitate fortunis, provinciis incumberent, cum rapinæ sequerentur, ut ait noster, largitionem, cum dando qui agere cœperant bonis alienis manus inferre cogerentur. Hoc ludi afferunt, regio quidem instructi apparatu, pessimæ vero et corruptissimæ argumentum ingens reipublicæ (2). Hoc enim scire est Tullium, dum civis optimi speciem quamdam Ethnicis objiceret, dementes Romæ ludos increpuisse. Nondum venerat qui hæc diceret : « Vis et » pugilatus et luctatus? præsto sunt non pauca simul. Adspice impu- » dicitiam dejectam a castitate, perfidiam cæsam a fide, sævitiam a mi- » sericordia contusam, petulantiam a moderatione adumbratam : et » tales sunt apud nos agones, in quibus ipsi coronemur. Vis autem » et sanguinis aliquid? habes Christi (3). » Sed vir consularis jam

(1) Cf. De Officiis II, passim.

(2) Cf. Tit. Liv. VII, 2. — Titus Livius dum loquitur de ludis scenicis, inter alia cœlestis iræ placamina institutis, hæc addit : « Inter aliarum parva principia rerum, ludorum » quoque prima origo ponenda visa est, ut appareret quam ab sano initio res in hanc vix » opulentis regnis intolerabilem insaniam venerit. »

(3) Tertull. De Spectaculis, § 30.

queritur de ludis, « cum nec necessitati subveniatur, nec dignitas » augeatur, » et auctore Aristotele, contendit » hæc pueris et mu- » lierculis et servis et servorum simillimis liberis esse grata : gravi » vero homini et ea, quæ fiunt, judicio certo ponderanti probari » posse nullo modo (1), » immo hanc patrimonii effusionem a theatris in pauperes, in captivos, in peregrinos translatam velit : nempe hæc benignitas etiam reipublicæ utilis est redimi ex servitute captos, lo- cupletari tenuiores, idque etiam reipublicæ est ornamento homines externos hoc liberalitatis genere in Urbe non egere.

Proponamus igitur hujuscemodi liberalitatem : superest enim me- moria priscæ civitatis, clientelarumque quibus res Romana stetit ac viguit. Illa vera est, et optimi civis beneficentia. Tunc enim semper aderant qui lites clientium sponte sua dirimerent; aderant qui, dum in toga tenerent dignitatis principatum, ultro clientium causas ora- rent, aderant qui res amplecterentur tenuiorum, consulerent fortu- nis, injurias ulciscerentur, patroni qui quasi patris alterius vices sus- ciperent. Neque in divites aut potentes beneficia certabant conferre : quid enim stultius, quid absurdius inveniri aut excogitari potest? In divites vir bonus, si beneficia conferat, non ideo conferet quia sunt divites, sed quamvis divites sint. Nec ideo tamen pauperibus blandie- tur, corrumpendæ multitudinis causa aut in rempublicam concitandæ; nam civis optimus potissimum cavebit ne duo fundamenta civitatis labefactet, concordiam et æquitatem : ex quo sequitur ut, si accedat ad rempublicam, suum cuique tribuat, detque operam ut neque tenuio- res propter humilitatem circumveniantur neque locupletibus ad sua vel tenenda vel recuperanda obsit invidia. « Nulla enim re conciliare » facilius benevolentiam multitudinis possunt ii qui reipublicæ præ- » sunt, quam abstinentia et continentia. » Hæc Africanus, hæc Mummius, hæc tot alii qui Urbis æternæ *Imperium Oceano, famam astris* terminaverunt. « Italiam enim ornare quam domum suam » maluerunt, quanquam Italia ornata, domus ipsa mihi videtur orna- » tior (2). »

Ergo vir bonus habearis, et qualis haberi velis, re talis esto. « Dic » enim in quovis conventu te omnia facere ne doleas,... dic te omnia » et in isto magistratu, et in omni vita utilitatis tuæ causa facturum,

(1) De Officiis II, 16.
(2) De Officiis, II, passim.

» quem clamorem concionis aut quam spem consulatus futuram » putes? At vero illa quæ peripatetici, quæ Stoici dicunt, semper tibi » in ore sunt. In judiciis, in senatu *officium, æquitatem, dignitatem,* » *fidem, recta, honesta, digna imperio, digna populo Romano, omnia* » *pericula pro republica, mori pro patria :* hæc cum loqueris, nos » barones stupemus, tu videlicet tecum ipse rides (1). » Non ita ; neque is est civis noster quem non pudeat sentire quæ dicere pudeat; non is est qui aliud clausum in pectore, aliud promptum habeat in lingua : hæc enim duo præcepta tenet, alterum eamdem esse utilitatem uniuscujusque et universorum (2), alterum hanc summam utilitatem necessaria quadam lege cum honestate consentire. Ista quidem jactabat ille rei Romanæ proditor :

> ... Si violandum est jus regnandi gratia,
> Violandum est; aliis rebus pietatem colas;

perinde ac si possit « cuiquam esse utile fœdissimum et teterrimum » parricidium patriæ, quamvis is, qui se eo obstrinxerit, ab oppressis » civibus *Parens* appelletur... Quousque enim audebunt dicere quid- » quam utile, quod non honestum (3)? »

Hoc animo, hac in patriram pietate, vir optimus recte in civitate vivet, quoad officium exsequi poterit; neque, ut fit interdum, quod superest breve spatium, senex temere deseret : « Vetat enim Pytha- » goras, injussu imperatoris, id est, Dei, de præsidio et statione vitæ » decedere (4). » Quid enim dulcius, quid pulchrius, quid præstabilius quam civis optimi senectus esse potest? Tam comis, ut sciunt, et suavis, et divinus M. Tullii de Senectute liber ut nescio quis merito dixerit nos orationis lenocinio allici ut repente senes evaderemus. Quid enim dulcius quam serena et perlucida vita, vesperascente jam die? Scilicet « apex senectutis est auctoritas....; habet senectus hono- » rata præsertim tantam auctoritatem ut ea pluris sit quam omnes » adolescentiæ voluptates (5). » Colitur enim senex qui justus, qui » liber, qui fortis usque ad extremum spiritum manet : « Adsum » amicis, ut ait Cato; venio in senatum frequens ultroque affero res » multum et diu cogitatas, easque tueor animi, non corporis, viri-

(1) De Finibus, II, 23.
(2) De Officiis, III, 6.
(3) De Officiis, III, 21-22.
(4) De Senectute, 20.
(5) De Senectute, 17.

» bus (1). » Quamprimum enim Plato senes invigilare civitatibus velit; Tulliusque senex maxima regna ab adolescentibus labefacta, a senibus sustentata et restituta meminit. Nempe dementis est senectutem dicere miseram quod avocet a rebus gerendis, nisi forte gubernatorem in navigando agere nihil jure dicatur quod cæteri malos scandunt, vel per foros cursant, vel sentinam exhauriunt. « Ad Appii » Claudii senectutem accedebat etiam ut cæcus esset : et tamen is, » cum sententia senatus inclinaret ad pacem et fœdus faciendum cum » Pyrrho, non dubitavit dicere illa, quæ versibus persecutus est » Ennius :

» Quo vobis mentes rectæ que stare solebant
» Antehac, dementes sese flexere? (2) »

Nihil igitur in tali senectute mœstum, turpe nihil, asperum nihil : « Nam quasi poma ex arboribus, si cruda sunt, vi avelluntur; si ma- » tura et cocta, decidunt (3); sic vitam adolescentibus vis aufert, se- » nibus maturitas; quæ mihi quidem tam jucunda est ut, quo propius » ad mortem accedam, quasi terram videre videar aliquandoque in » portum ex longa navigatione esse venturus (4). »

§ VI.

Sed num hic totus homo est? his, his finibus absolutam felicitatem, Marce Tulli, includis? Scilicet in philosophos vehementer D. Augustinus invehitur; hic fere jactet : « O curvæ ad terras animæ et cœles- » tium inanes ! » hic nostrum incusat quod felicitatem, dum superbe quærit in terris stolideque inventam putat, re nullam invenerit : « Hic beati esse, inquit, et a se ipsis beati fieri voluerunt. Irrisit hos » Veritas per Prophetam dicentem, *Novit Dominus cogitationes* » *eorum* (5). » Ex quo sequitur ut hoc caput proponat : ***De summo bono et summo malo quid Christiani sentiant contra philosophos qui summum bonum in se sibi esse dixerunt***, et Tullium pectora blandis mendaciis decipere atque grandiloquas canere ineptias clamitet. Tantum autem esse ait pacis bonum ut etiam in rebus terrenis atque mor-

(1) De Senectute, 11.
(2) De Senectute, 6.
(3) Haud aliter Aquarum Sextiarum quoddam epigramma.
« Progenies hominum sic sunt ut mitia poma
» Quæ matura cadunt aut immatura leguntur. »
(4) De Senectute, 19.
(5) De Civit. Dei, l. XIX, C. IV.

talibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inveniri (1). Sed cum pacem a bellis alienissimam, cum bellum peccato ubique terrarum efferatum existimat, immo pectoribus humanis incubuisse et inhæsisse ostendit, felicitati ullum usquam consistendi locum a philosophis in terra datum esse indignatur. Quid enim de virtutibus quibus expetitur summum bonum et arripitur? Quid de prudentia? Nihil agit illa nisi ut debilem et mancum hominem deprehendat. « Quid justitia cujus munus est » sua cuique tribuere (unde fit in ipso homine quidam justus ordo naturæ, ut anima subdatur Deo, et animæ caro, ac per hoc Deo et » anima et caro)? nonne demonstrat in eo se adhuc opere laborare » potius quam in hujus operis jam fine acquiescere? » (2). Fortitudinem autem, vel mortem sibimet inferente Catone, quisquam nominet! « Ubi est fortitudo? Nempe cessit, nempe succubuit, nempe usque » adeo superata est ut vitam beatam derelinqueret, desereret, fugeret (3). » De temperantia autem nihil dicendum, cum nobiscum perpetuum, indefessum, invictum hostem geramus, libidinem dico quæ nullis viribus alligari opprimique se patiatur. Interroga autem Christianos qui cœlestem, non terrenam, civitatem spectant : « Salus, » quæ in futuro erit sæculo, ipsa erit etiam finalis beatitudo. Quam » beatitudinem isti philosophi, quoniam non videntes nolunt credere, » hic sibi conantur falsissimam fabricare, quanto superbiore, tanto » mendaciore virtute (4). »

Grandia sane magnificaque verba D. Augustini confiteor. Qui tamen in præclaram philosophiam ex gremio Platonis effusam, nescio quopacto, cum Platonicos cæteris anteponit eosque sibi fatetur propinquiores (5), asperior esse videatur. Quid enim Tullius? Ad felicitatem humanam humana virtute pervenire posse contendit. Sed, quæso, num ideo terris omnia circumscribit? num quia hic finem homini datum esse videt, finem alterum ulterius superesse negat? Omitto tot et tanta de immortalitate animi, Platonis ingenio dignissima : quis autem hæc non legit, hæc memoria non tenet? « Sic habeto : omnibus, qui patriam conservarint, adjuverint, auxerint, certum esse

(1) De Civit. Dei, l. XIX, C. XI.
(2) De Civit. Dei, l. XIX, C. IV.
(3) De Civit. Dei, l. XIX, C. IV.
(4) De Civit. Dei, l. XIX, C. IV.
(5) De Civit. Dei, l. VIII, c. IX.

» in cœlo definitum locum, ubi beati ævo sempiterno fruantur. Nihil » est enim illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod » quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia cœtusque hominum » jure sociati, quæ civitates appellantur. Harum rectores et conser- » vatores hinc profecti huc reverluntur (1).» Nonne hic Romanæ philosophiæ-ducem sanctus episcopus excusabit? Num eum nescientem quomodo animus erigens se posteritatem semper ita prospiciebat, quasi, cum excessisset e vita, tum victurus esset (2), in mortalibus tenebris versari doleat? Haud aliud senserat Augustinus de sociali vita sanctorum quam ex vita sociali quæ his in terris agitur ait inceptam et inchoatam esse (3), haud aliud Tullius noster, cum talia Catonem dicentem inducit : « Equidem efferor studio patres vestros, » quos colui et dilexi, videndi; neque vero eos solum convenire » aveo quos ipse cognovi, sed illos etiam de quibus audivi et legi et » ipse conscripsi. Quo quidem me proficiscentem haud sane quis » facile retraxerit ... Quod si quis deus mihi largiatur ut ex hac ætate » repuerascam et in cunis vagiam, valde recusem. Nec vero velim, » quasi decurso spatio, ad carceres a calce revocari. Quid enim habet » vita commodi? quid non potius laboris? sed habeat sane; habet » certe tamen aut satietatem aut modum.... Neque me venisse pœ- » nitet, quoniam ita vixi ut non frustra me natum existimem, et ex » vita ita discedo, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo. Com- » morandi enim natura deversorium nobis, non habitandi locum » dedit. O præclarum diem, cum ad illud divininum animorum con- » cilium cœtumque proficiscar, cumque ex hac turba et colluvione » discedam (4). » Credere igitur liceat illa D. Augustini animo, cum de philosophia antiqua in ista bonorum et malorum disputatione quereretur, excidisse, quæ si legisset, meminissetve Tullium senem hæc in vitæ extremo tempore loqui, tunc iisdem, quibus Didonem amore incensam, philosophum ultima verba canentem lacrymis prosecutus esset, et Civitatem Dei Tullium quoque vel e terris contemplatum esse profiteretur.

In terrestri autem civitate, cum finem homini datum ostendimus,

(1) De Republica VI, 7.

(2) V. De Senectute, 23.

(3) V. De Civitate Dei, l. XIX, c. V.

(4) De Senectute, 23.

cum libero homini statutum certisque virtutibus propositum esse approbavimus, hæc ultima nostro Ciceroni quæstio tractanda obversatur utrum immoti in sæculorum serie consistamus an excelsa lege ad perfectionem quamdam progressumque mentis et virtutis humanæ rapiamur. Ecquis autem nescit, si Tullio credideris, hanc ad metam in curriculo vivendi hominem properare ut vim naturæ humanæ insitam magis ac magis in dies foveat et efferat? Quid? num Deus imposuit pectoribus virtutis voluntariæ semen cœleste, quod nullo in pectore germinaret? Est, est optatus finis ad quem decertando perveniamus, cum sit utilitas decertandi : neque pericula navigationis dementia quadam capti obimus, cum maris enavigandi spes haud removeatur.

Quæ autem de homine, eadem de genere humano confiteamur necesse est; quod quidem cum uno homine qui longo temporum usu informetur haud immerito conferas. Quid enim? Ecquis Ciceronem nostrum hæc credidisse putet quæ poetæ de regno Saturnio, de aureis moribus finxerunt? Quæso, num Tullius populos in primis cunabulis quam simillimos Deo fuisse et in perpetuum volventibus annis, retrocedere existimet, quia « fuisse quondam tempus » dixerit, « cum » in agris homines passim, bestiarum more, vagarentur (1)? » quæ nonne ulterius emendavit; nonne hæc in novissimo opere? » Urbes » sine hominum cœtu non potuissent nec ædificari nec frequentari; » ex quo leges moresque constituti, tum juris æqua descriptio certa- » que vivendi disciplina : quas res et mansuetudo animorum conse- » cuta et verecundia, effectumque ut esset vita munitior atque ut » dando et accipiendo mutuandisque facultatibus et commodandis » nulla re egeremus (2). » Inde fit ut ne secundæ quidem sectæ quæ populos immutabiles immobilesque in sæculorum serie proponit, Tullius adhæreat. Tertia autem est quæ singulas gentes nasci et mori hominisque instar ab initio vitæ usque ad mortem crescere et decrescere doceat : quæ gentes cum evanuerint, nihil cæteris inchoatum aut incœptum est. Neque hanc, ut opinor, noster amplectitur utpote qui Græcorum labores nequaquam Romanæ philosophiæ prodesse, vel societatem generis humani qua se invicem homines et populi informant et instituunt ullo tempore disturbari posse haud existimet. Quid

(1) De Inventione, I, 2.
(2) De Officiis, II, 4.

enim? cives mundi vos facit : num istius mundi ex quo præterita sæcula eradicentur ? Cum clarissimis viris amore patriæ certandum ait.— Atenim hæc semper in ore habet, morem majorum, antiquam consuetudinem, majorum instituta. Neque enim is erat qui humanum genus ferrea quadam, constanti et ineluctabili necessitate progredi crederet. Sunt quædam in cursu stationes : hic populi quiescere videntur, hic interdum declinare : is autem populi Romani habitus erat ut ad majorum morem et instituta Cicero rempublicam revocare vellet; qui tamen hæc de priscis Romanis : « Sed quoniam paullo ante dictum » est imitandos esse majores, primum illud exceptum est ne vitia sint » imitanda (1). » Nempe ita est : patres exempla tradiderunt, sed exempla sola virtutum, quibus accenderemur ut laudem avitam superaremus : quod quidem amplificatum nos quoque posteris tradimus patrimonium. Sic æquales omnium temporum viri exstitimus; sic tu, Marce Tulli, vel tot annis præteritis, philosophiam, licet in majus provectam, adjuvas : sic, dum nostræ morali et civili philosophiæ te ducem adhibemus, hæc de sapientia tecum licuit canere : « O vitæ » philosophia dux ! o virtutis indagatrix expultrixque vitiorum ! » quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuis» set? Tu urbes peperisti; tu dissipatos homines in societatem vitæ » convocasti :.... tu inventrix legum, tu magistra morum et disci» plinæ fuisti. Ad te confugimus; a te opem petimus (2). » Quæ cum civitatis introitum præparavit, instruxit, muniit, sequitur ut ipsam civitatem ordinemus.

(1) De Officiis, I, 33.
(2) Tuscul. disput. V, 2.

II.

PRÆCEPTA CIVILIS SCIENTIÆ.

§ I.

Quid sit civitas varie definitum est. Hæc Tullius : Est respublica res populi ; est populus non omnis hominum cœtus quoquo modo congregatus, sed cœtus multitudinis juris consensu et utilitatis conmunione sociatus. (1)

Equidem Tullium velim banc Platonis sententiam in mediam Romani fori lucem protulisse, ut civitas nihil aliud sit quam humana mens pœne in immensum propagata, sed quæ virtutibus iisdem, eadem vi, unum et eumdem, quo feruntur singuli, cursum tenet. Hic vero fortasse qui sit habitus civitatis Plato potius explicet quam definiat quæ sit ipsa civitas. Hoc autem fere constat quod Platonis opinionem secutus sit Tullius, immo in opera sua, nisi manifestius et clarius expressam transtulerit, transtulerit tamen ac singulis de civitate libris inscripserit. Quid enim? invehitur in Epicurum, cum de finibus bonorum et malorum, quod ad hominem attinet, disputat : invehitur, cum de civitate ordinanda cum illo agit. Prohibet ne suam utilitatem homo virtuti anteferat : ne populi anteferant idem prohibet (2). Utilitatem singulorum cum honestate congruere putat ; eamdem esse utilitatem uniuscujusque et universorum contendit (3). Nonne idem est qui, dum civis optimi describit officia, partes

(1) De Rep. I, 25.

(2) De Republica III *in fine*.

(3) De Officiis III, 6.

quæ sint optimæ civitatis non semel docet? qui, dum Cæsarem impugnat, piratarum cohorti comparat senatum qui indigna in urbes Asiasticas decrevit (1)? Nonne idem est qui, dum libros *de legibus* miro quodam ingenio conficit, quæ lex homini data sit a Deo primum quærit, ut *legum* naturam ostendat, et inde civitati suæ leges irroget? Nonne idem est qui censet bella paci postponenda, quia mens præesse corpori debet? Nonne is est demum qui, si una ac simplex forma reipublicæ probanda sit, regiam ideo probet quia jure philosophi seditiones animi ratione sedandas existimant (2)? Quis igitur neget Tullio civis et civitatis, philosophiæ moralis ac civilis scientiæ societatem arctissimam notam esse? Quis non videt hac sententia, hoc animo Tullium civitatis fundamenta jacere, cum unum finem, legem unam, eamdem vivendi disciplinam homini simul et civitati imposuerit?

Hoc autem primum a philosophia morali discedit, hoc peculiare civitatis est ut quæramus quomodo fiat civitas : quam cum ex hominum congregatione constare diximus, unde orta sit hæc congregatio videamus necesse est.

Scilicet « urbis condendæ originem atque causam non unam intulerunt (3); » neque solum in recentiore philosophia reperire est qui de hac quæstione diversissima profiteantur. Hinc enim stat Lucretius (4), neque Lucretius modo quem propter carmina rem levius attii gisse multi credant; sed, ut videtur, omnes Epicuri discipuli, illinc autem Stoici longe aliter de civitatum origine disserere consueverunt. Epicuri autem discipulus homines primo per silvas et campos erraticam degisse vitam, nec ullo inter se juris vinculo cohæsisse, sed frondes et herbam pro cubilibus, speluncas et antra pro domibus habuisse, deinde bestiarum metu ad alios homines decurrisse, præsidium implorasse, et inde sermonis initia tentasse; cum autem nec multitudinem ipsam viderent contra bestias esse tutam, oppida etiam cœpisse munire commemorabit (5). Stoici vero pertinere ad rem arbitrantur intelligi natura fieri ut liberi a parentibus amentur : a quo initio pro-

(1) De Officiis III, 22.

(2) De Republica I, 25, 28.

(3) Lactant. Inst., l. VI, 10.

(4) De rerum natura, l. V. v. 929-1160.

(5) Lactant. Inst., l. VI, 10.

fectam communem humani generis societatem persequuntur. Ex hoc nascitur ut etiam communis hominum inter homines naturalis sit commendatio, ut oporteat hominem ab homine, ob id ipsum quod homo sit, non alienum videri. Itaque natura apti sumus ad cœtus, concilia, civitates (1).

Operæ pretium est animadvertere multa in utramque partem a Tullio conscripta, neminem tamen inveniri posse qui de vera Tullii opinione dubitet.

Scilicet adolescente Tullio hæc profecto apud Romanos sententia vigebat, quam in medium protulerat Epicurus; hanc juvenis Tullius defendit : « Fuit quoddam tempus, ait, cum in agris homines passim » bestiarum more vagabantur, et sibi victu fero vitam propagabant; » nec ratione animi quidquam, sed pleraque viribus corporis adminis- » trabant. Nondum divinæ religionis, non humani officii ratio cole- » batur; nemo nuptias viderat legitimas; non certos quisquam adspe- » xerat liberos; non jus æquabile quid æquitatis haberet acceperat. » Egregia sane verba quibus natura procul humana homo quidam, religionis expers, expers liberûm, ignarus officii statuitur ! Jam vero hoc est audiendum : « Quo tempore quidam magnus videlicet vir et » sapiens cognovit quæ materia esset et quanta ad maximas res op- » portunitas in animis hominum, si quis eam posset elicere et præ- » cipiendo meliorem reddere : qui dispersos homines in agris et in » tectis silvestribus abditos ratione quadam compulit unum in locum » et congregavit, et eos in unamquamque rem inducens utilem atque » honestam.... ex feris et immanibus mites reddidit et mansuetos (2). » Mire quidem apparet vir singularis qui solvat nodum : ista viginti annos nato, non ita facile annum quinquagesimum egresso ignoscam : hæc enim in libris de Oratore legimus : « Ut vero jam ad illa summa » veniamus, quæ vis alia potuit aut dispersos homines in unum con- » gregare aut a fera agrestique vita ad hunc humanum cultum civi- » lemque deducere, aut jam constitutis civitatibus leges, judicia, jura » describere ? » (3). Hic tantum, Scœvola auspice, in locum unius magni sapientisque viri sapientes plurimi fortesque successerunt qui

(1) De Finibus III, 19.

(2) De Inventione I, 2.

(3) De Oratore I, 8.

societatem generis humani instituerent (1). Hanc autem doctrinam jam paulò post in melius mutatam, cum libros de Republica noster confecit, invenimus; nam quanquam Scipio fastidiosius hic se a prima congressione maris et feminæ, deinde a progenie et cognatione non ordiri (2) profitetur, hæc tamen eumdem Scipionem loqui constat : multitudinis « autem prima causa coeundi est non tam imbecillitas » quam naturalis quædam hominum quasi congregatio; non est enim » singulare nec solivagum genus (3) » humanum.

Stoicorum vero partes in libris ***de Legibus*** magis ac magis in dies Tullius amplectitur. Hic societatem hominum conjunctionemque ex insigni hominum similitudine ortam esse demonstrat. Ex quo sequitur ut omne genus humanum sociatum inter se intelligatur, et ad participandum alium ab alio communicandumque inter omnes jus homines natura facti sint (4). Scilicet mox Tullius hæc et talia jactabit, cum de Finibus disseret : « Sic hominis natura generata est ut habeat » quiddam innatum quasi civile et populare, quod græci πολιτικόν vo- » cant : quidquid agit quæque virtus, id a communitate et ea, quam » exposui, caritate atque societate humana non abhorrebit (5). » Denique in illo opere quod inter medias reipublicæ procellas senex misit ad filium, insignem quamdam præclaramque de generis humani societate sententiam amplectitur : quam conjunctionem mire confitetur, mire probat; qua sublata, negat esse ***vitam vitalem***, ut ait Ennius, qua vigente, caritate quadam divina genus humanum devinciri ostendit : nihil ita vividum, nihil ita lucidum de hac quæstione : « Ut apium examina non fingendorum favorum causa congregantur; » sed cum congregabilia natura sint, fingunt favos : sic homines, ac » multo etiam magis, natura congregati, adhibent agendi cogitandique » solertiam.... Nec verum est quod dicitur a quibusdam, propter ne- » cessitatem vitæ, quod ea quæ natura desideraret, consequi sine aliis » atque efficere non possemus, idcirco initam esse cum hominibus » communitatem et societatem; quod si omnia nobis, quæ ad victum » cultumque pertinent, quasi virgula divina, ut aiunt, suppeditaren-

(1) V. De Oratore I, 9.
(2) De Republica I, 24.
(3) De Republica I, 25.
(4) De Legibus I, 11, 12.
(5) De Finibus V, 28.

» tur, tum optimo quisque ingenio, negotiis omnibus omissis, totum » se in cognitione et scientia collocaret. Non est ita. Nam et solitudi- » nem fugeret et socium studii quæreret » (1).

Ex manifestissima de naturali cognatione hominum sententia quid sequatur exquirendum : nam hoc Tullii est peculiare ut quidquid ex disputationibus scholæ colligitur, hoc in quotidianam forensemque vitam transferre velit, neque magna laude dignum sine usu et exercitatione existimet. Sic D. Augustinus, cùm narravit ita mundum esse fabricatum ut cognationis affectu homines necterentur, feminamque ex ipso viro fuisse creatam ut omne ex homine uno diffunderetur genus humanum, hanc legem inde sequi docet ut societatis humanæ incipientis a domo atque inde ad urbem, deinde ad orbem progredientis amore detineamur (2). Quæ jam antiquitus officia Stoici describere consueverant, cum legi consentaneum esse dicerent ut uxorem adjungeremus et ex ea vellemus liberos procreare, quorum utilitatem nostræ anteponeremus, ut inde nos implicaremus civium societati natosque homines ad patriam, ac postremo unumquemque nostrum hujusce mundi partem esse meminissemus immensaque caritate genus humanum complecteremur (3). Non aliter Tullius; diliges domum, amicos diliges, diliges civitatem ac gentem humanam : nam tibi secundum naturam vivendum, hæc autem prima naturæ lex est ut nos arctissima hominum societate devinciamus (4). Inde civis optimus efficitur quem modo, duce virtute, metam contingere ostendimus : inde justitia cæteris virtutibus antecellere visa est (5), quæ congregatorum hominum virtus propria jure dicatur : quibus enim armis justitiam defendit? « Si sic erimus affecti ut propter suum quis- » que emolumentum spoliet aut violet alterum, dirumpi necesse est » eam, quæ maxime est secundum naturam, humani generis socie- » tatem..... Ut, si unumquodque membrum sensum hunc haberet ut » posse putaret se valere, si proximi membri valetudinem ad se tra- » duxisset, debilitari et interire totum corpus necesse esset : sic si » unusquisque nostrum ad se rapiat commoda aliorum detrahatque » quod cuique possit, emolumenti sui gratia, societas hominum et

(1) De Officiis I, 44.
(2) Cf. De Civitate Dei, l. XII, c. XXI, l. XIX, c. VII.
(3) V. De Finibus III, passim.
(4) V. De Finibus V, 23. De Officiis, passim.
(5) De Officiis I., 43-44.

» communitas evertatur necesse est. » (1). Nemo tam perspicue miram justitiæ et societatis humanæ conjunctionem explicuit; nemo quid ex injuria in cœtum hominum redundaret clariorem in lucem protulit. Hinc jure in illam vocem inhumanam et sceleratam invehi poterat eorum qui negant se recusare quominus, ipsis mortuis, terrarum omnium consequatur deflagratio (2); hinc jure, caritate illa humani generis impulsus, elatus, accensus, conservandas et adjuvandas, si fieri posset, omnes gentes maximis laboribus molestiisque, et imitandum Herculem quem hominum fama beneficiorum memor collocavit in concilio cœlestium, profitebatur (3).

§ II.

Civitatem igitur cœtum hominum esse diximus; sed hæc secunda lex est ut cœtum hominum juris ac legum consensu sociatum agnoscamus.

« Quid est enim tantum, quantum jus civitatis (4)? » Quis est populus, quæ gens tam inhumana et fera ut legum expers sit quæ castigent improbos, quæ bonos viros tueantur? Scilicet ut homo rerum naturæ, erecto vultu ad cœlum, imperat, sic regimen ac principatum humanæ istius naturæ ratio tenet: quæ quidem, cum in Deo viget ac spirat, simul et pectoribus humanis insita est, legem unam immutabilem, divinam, æternam, hominibus ac Deo communem, in ipsius Dei gremio quæramus necesse est. Quid mirum, cum hominem stirpem esse Dei credimus, animumque sentimus a Deo esse ingeneratum, et inde naturam hominis ac Dei similem esse intelligimus? Non alia virtus homini, non alia Deo, cum virtus nihil sit nisi natura in se perfecta et ad summum perducta. Ex quo sequitur ut lex ea, quam civitati semper præesse diximus, ex ipsa hominis natura, a mundi incunabulis, exorta sit. Ratio igitur quæ proficiscitur a Deo, quæ homini imperat, hominum terrestribus conciliis imperabit (5).

(1) De Officiis III, 5.
(2) De Finibus III, 19.
(3) De Officiis III, 5.
(4) De Legibus I, 4.
(5) V. De Legibus I, 7, 8, 10.

Divina lex nullis temporibus locisve excsindi vel immutari poterit. Homines autem, ut natura conjunctos esse, sic mira inter se similitudine congruere fatendum est : ratio non contraria unicuique nostrum, non dissimilia similibus imperat. Quid ? eadem ratione utimur, sensibus iisdem, easdem rerum intelligentias necessarias immutabilesque concipimus, eadem diligimus, eodem pietatis ergo Deos motu rapimur. Nullo pacto fieri potest quin similium hominum cœtus communi lege gubernetur. Juris igitur communio ex ipsa rerum natura repetenda est (1). Quid autem ? effigies quædam supremæ ac divinæ legis in pectoribus nostris habitat; est « hæc non scripta, sed nata lex ; » quam non didicimus, accepimus, legimus ; verum ex natura ipsa ar- » ripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non » instituti, sed imbuti sumus (2). » Bene habet ; quis est autem qui solem in media luce diei non videat? quomodo fit ut cœlesti legis splendore non subito capiamur? Consentiant in unum populi, si lex una præsit in æternum populis : quid ? Bovem et olera Ægyptus colit, Græci Diis humanos vultus induunt ; Græci frequentant templa, templa Xerxes urit quod deos quorum domus esset omnis hic mundus inclusos parietibus contineri nefas esse diceret; Pœni se humanarum hostiarum sanguine polluunt. Egregiam sane legem et vere immutabilem mirisque modis erga Deos observatam ! Latrocinia probant et Cretes et Ætoli : Athenienses omnem oliviferam tellurem jure suam esse et credunt et jurant : ubi lex vestra ? Lex Voconia promulgata est quæ pristinum jus de successionibus immutaret : cur promulgata est ? Nec modo populi a se invicem dissentiunt ; sed ne secum quidem concordem unam gentem inveneris : nimirum si natura sanxisset jura nobis, et omnes iisdem, et iidem non alias aliis uterentur. Immo philosophia ipsa, subtilis et acuta nostræ legis inventrix, nihil de hac lege naturali certum, nihil fixum et stabile proposuit. « Jus autem de quo » quærimus, civile est aliquod, naturale nullum : nam, si esset, ut » calida et frigida, et amara et dulcia, sic essent justa et injusta eadem » omnibus. » — Atenim jus civile unde exortum esse putes? — Nihil arduum ; eadem juris origo quæ hominum societatis : homines propter imbecillitatem, ut congregati sunt, sic leges tulere. « Nam cum » de tribus esset optandum aut facere injuriam nec accipere, aut et

(1) V. De Legibus I, 11.

(2) Pro Milone, 4.

» facere et accipere, aut neutrum ; optimum est facere impune, si » possis ; secundum nec facere nec pati ; miserrimum, digladiari » semper, tum faciendis, tum accipiendis injuriis. » Ne hoc quidem facile inveniri possit cur naturales populorum leges, quæ nusquam essent, philosophi excogitaverint (1).

Is autem erat Tullius qui acriter instantes adversarios, in hoc certamine, Platone duce, impugnaret, contunderet, adfligeret. Scilicet isti nihil aliud velint quam ut existimemus justa esse quæ scita sint in populorum institutis. Impiam quidem vocem et ab hominum natura maxime abhorrentem ! Quid enim de isto angore conscientiæ fraudisque cruciatu ? Quo pacto fieri potest ut omnes rei quos lex patriæ condemnet, legem quamdam patriis legibus altiorem invocent ? quomodo fit ut improbi homines non incauti, sed mali, probi vero non callidi, sed boni dicantur ? Naturam humanam prius introspicite, quæso, quam funditus tollatis. Scilicet cum divina effigies e longiquo humanis tenebris affulgeat, aliis alii propius ad eam accedamus necesse est : inde fit ut leges hominum diversæ occurrant, immo ut quasdam leges a summa lege recedere et ita contra jus latas esse profiteamur. Triginta tyrannorum leges injustæ sunt : quam labem ne Athenarum quidem suffragia deleant. Finge autem jus naturale pro nihilo esse, jus est latrocinari, jus adulterare, jus testamenta falsa supponere, si hæc suffragiis aut scitis multitudinis probentur. Scilicet regulam vitæ a ratione ad vulgus ignobile transtulistis. « Quæ si tanta potestas erat stultorum » sententiis atque jussis ut eorum suffragiis rerum natura vertatur ; » cur non sanciunt ut quæ mala perniciosaque sunt, habeantur pro » bonis ac salutaribus ? Atqui nos legem bonam a mala nulla alia nisi » naturæ norma dividere possumus (2). » « Est igitur vera lex recta » ratio, naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, » quæ vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat, quæ tamen neque probos frustra jubet aut vetat, nec improbos jubendo » aut vetando movet. Huic legi nec obrogari fas est, neque derogari » ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest : nec vero aut per » senatum aut per populum solvi hac lege possumus : neque est quærendus explanator aut interpres ejus alius : nec erit alia lex Romæ, » alia Athenis, alia nunc, alia posthac ; sed et omnes gentes, et omni

(1) V. De Republica III, 5, 6, 7, 8, 10.

(2) V. De Legibus I, 14-16.

» tempore, una lex et sempiterna et immutabilis continebit, unusque » erit communis quasi magister et imperator omnium deus; ille legis » hujus inventor, disceptator, lator, cui qui non parebit ipse se fugiet, » ac naturam hominis adspernatus, hoc ipso luet maximas pœnas, » etiam si cætera supplicia, quæ putantur, effugerit » (1).

Hæc igitur inter Romanos de stillicidiorum et parietum jure disputantes æterna Tullii laus est ut neque a prætoris edicto, ut plerique tunc, neque a duodecim tabulis, ut superiores, sed penitus ex intima philosophia hauriendam juris disciplinam esse putet : Romæ hoc nemo inter majores, ecquis inter posteros? Quanquam nescio an libri de Republica, de Legibus et de Officiis confecti quamdam rerum mutationem in scientia juris attulerint (2). Hinc fortasse Labeo, Nerva et Proculus profecti qui jus civile jure naturali corrigere studebant; hinc Proculiani qui hæc et talia : « Jus est ars boni et æqui. Cujus » merito quis nos sacerdotes appellet : justitiam namque colimus : et » boni et æqui notitiam profitemur : æquum ab iniquo separantes : » licitum ab illicito discernentes : bonos nos solum metu pœnarum, » verum etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes : » veram (nisi fallor) philosophiam, non simulatam affectantes (3). »

Cum igitur constituendi juris ab illa summa lege capiendum sit exordium, quæ ante nata est quam scripta lex ulla aut quam omnino civitas constituta (4), optima sit hujusce civitatis constitutio necesse est cujus leges naturali ac summæ legi quam simillimas esse dixerimus. Constat vero civitatem, nisi juris communione societur, ne nomen quidem civitatis retinere. Tolle legum consensum : quid restat? Hic cœtus, hic congregatio est : deest vinculum. Sint duæ leges; hic duas civitates esse confiteamur; tres erunt, si tertiam legem adjeceris. Quid autem? quo pacto fieri potest ut apud veteres semper duas civitates, alteram servorum, alteram liberorum stetisse Tullius non viderit; vel potius quo pacto a juris communione necessaria quadam lege servos excludi noster quoque crediderat, servosque in civitate et spirare et vivere et formas hominum habere non senserat? Illa quidem sæculi veteris et Ethnicarum gentium : hæc autem Christianæ disciplinæ et ætatis futuræ : « Jus semper quæsitum est æquabile, neque

(1) De Republica III, 17.
(2) Cf. de Rémusat. *Préface des Lois*, p. 5.
(3) Ulpianus, lib. I Institutionum.
(4) De Legibus I, 6.

» aliter jus esset (1). » Præclaram quidem vocem et dignam quæ a maximo conventu apud posteros initio legum inscriberetur : « Homi- » nes liberi et æquo jure comprehensi nascuntur et vivunt (2). » Scilicet jam appropinquante Christo, Tullius hoc præceptum in medium protulerat quod in omnes populos Christiana religio diffudit ut orbi lex naturalis una, urbi lex una civilis imperaret. Recte igitur noster rem in hunc modum definit : ubi communio juris, hic civitas : communione sublata, civitatis nomen fortasse, civitas nulla.

Sin autem legum expers nulla civitas esse queat, sit lex vera, viva, potens, non legis umbra. Quid enim lex optima, si torpeat? Quid pulcherrima et eloquentissima si latere et silere coacta sit ? Quædam igitur partes in civitate sustineantur necesse est a quibusdam custodibus legum : quis legem sine magistratu fingat aut excogitet? « Ergo » omnis civitas consilio quodam regenda est (3). » Hoc autem consilium a Deo inter leges, ut ita dicam, populumque positum est : dum enim leges cum surdis populis loquerentur, valde pertimescendum erat ne non cœlestem vocem populi auribus exciperent; inde fit ut vere dicatur « magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum. » Hoc enim ejus munus proprium est ut voces divinas in aures populorum demittat et fidis pectoribus arripiendas et custodiendas esse curet : legibus igitur parebit, imperabit populo. « Hæc enim magistratus vis erit ut præsit, præscribatque recta et » utilia et conjuncta cum legibus : » Recte igitur noster, si exstitisset ab inferis, peritissimos et acutissimos viros, rerum novarum aucupes, nostris temporibus increpuisset, qui, ratione duce et auspice, leges peculiari virtute sine magistratus ope et auxilio sponte sua docili hominum generi imperare posse contendant. Dementes qui propter libertatem nescio quid a libertate alienissimum invocent! Ne igitur alio animo leges, alio magistratum adeant cives; quemadmodum imaginem a cœlesti effigie ductam, id est, ex lege naturali expressam venerari ac diligere debent, sic magistratum colant, sic ament : suasit Plato; suasit iterum Tullius quippe qui nullo firmiore quam caritatis vinculo et jus et imperium retineri existimaverit (4).

(1) De Officiis II, 12.

(2) V. *Constitution française du* 3-14 *septembre* 1791. *Déclaration des droits Art.* 1.

(3) De Republica I, 26.

(4) V. De Legibus III, 1-2.

Sed frustra legum communione cœtus hominum societur, frustra magistratus habeat, nisi communione utilitatum quoque devinciatur, Quid enim refert unum esse jus, si leges alter tueatur, alter impugnet? Qua reipublicæ peste graviter Tullius angebatur quærebatque non modo scriptis, sed etiam vigiliis et laboribus Urbem liberare. Cum autem hæc Romanæ republicæ fata divinitus essent statuta ut discordiis fessa civilibus in se resideret atque in otio cruento consenesceret, Tullius vel in pristinas fori procellas invehitur quibus navis fatiscere cœperat : « Quid enim mihi L. Paulli nepos, hoc avun-» culo, nobilissima in familia ; atque in hac tam clara republica na-» tus, quærit quomodo duo soles visi sint ; non quærit cur in una re-» publica duo senatus et duo pœne jam populi sint... Quamobrem, » si me audietis, adolescentes, solem alterum ne metueritis... sena-» tum verò et populum ut unum habeamus et fieri potest et permo-» lestum est nisi fit ; et secus esse scimus et videmus, si id effectum » sit et melius nos esse victuros et beatius (1). » Scilicet nemo de concordia plura scripsit, nemo diviniora, si Platonem omiseris ; Tullium enim meminimus, diversas reipublicæ formas investigantem, quoties unam e tribus laudat, concordiæ gratia laudare, civitatem popularem, quia una et eadem omnium utilitas est, cum apud omnes sit auctoritas ; regnum, quia ut ratio libidines, sic iras et seditiones et discordias rex placare solet, civitatem delectorum quia omnes in hoc consentiant necesse est ut gubernacula teneant ii quibus vacat, dum privatas res tuto gerunt cæteri. Nempe quæ de animi pace in schola, eadem de reipublicæ concordia in foro libenter dixerimus.

Hoc igitur maxime exquirendum est ut civitatem quam maxime concordem instituamus. Sed quomodo concordia copuletur ? Scilicet arctissima utilitatum communione. Ex quo sequitur ut leges nihili sint, ut imperia jure intereant, nisi cum moribus et commodis civium optime consentiant. Quid enim in philosophia morali vidimus? Lex homini hæc data est ut secundum naturam ille viveret : non alia lex cuiquam civitati imposita esse potest, quippe quæ si naturæ aut moribus aut utilitatibus populi obstiterit, cur perstet ea, cur vigeat, non videmus. Accomodemus igitur moribus leges : qui si evanuerint, si perditi sint, nulla est forma cujus lineamenta in legibus describendis servare liceat : nullæ diuturnæ, nullæ stabiles leges esse

(1) De Republica, I, 19.

poterunt. Dixit Ennius : « Moribus antiquis res stat Romana viris- » que. » « Nam neque viri, nisi ita morata civitas fuisset, neque mores, » nisi hi viri præfuissent, aut fundare, aut tamdiu tenere potuissent » tantam et tam juste lateque imperantem rempublicam (1). » Hæc enim est perfecta civitas in qua firmissimo vinculo et leges et mores socientur; tunc verum tenet iter; tunc mirabili omnium partium concordia cursum conficit. Sic quoque hæc respublica jure laudabitur quæ leges, non repente ex uno homine, sed sensim e sæculis acceperit; nam civitas, dum lentius instruitur, tempore optimo magistro, informata paulatim crescit, unde necessariæ cuique pesti remedium adhibetur, et necessaria quæque providentur : sic optime leges moribus consonant : sic utilitatum communione civitas constituitur.

§ III.

Jam vero quærendum an, quia sublata utilitatum communione civitas quoque tollitur, ideo utilitatem fundamentum civitatis esse fateamur.

Quid ? Cives philosophia vetat vitæ finem ultimum in voluptate aut utilitate collocare, neque prohibeat scientia civilis quominus in utilitate civitas omnia collocet ! Non is erat Tullius, alumnus Platonis, qui tam longo intervallo civis ac civitatis vitam distare fingeret : « cum » eadem est ratio juris in utraque (2), » ejusdem sapientiæ in civitatem diffundi nunc oracula patiamur.

Beatam autem vitam persequimur : expetit quoque civitas. Nam, si leges a fonte noster repetat, « ad vitam hominum quietam et bea- » tam inventas esse (3) » contendit; si magistratuum officium quærat, « ut gubernatori cursum secundum, medico salutem, imperatori » victoriam, sic moderatori civium beatam civium vitam propositam » esse (4) » existimat. Beatam vitam a civitate semper exquiri noster ostendit.

Quam autem civitatis vitam beatam esse dixerimus ? Epicurus hic justitiæ locum esse negat : « Nos vero, Philus ait, justissimi ho-

(1) De Republica V, 1.
(2) De Republica III, 9.
(3) De Legibus II, 5.
(4) De Republica V, 6.

» mines, qui transalpinas gentes oleam et vitem serere non sinimus, » quo pluris sint nostra oliveta nostræque vineæ : quod cum faciamus, » prudenter facere dicimur, juste non dicimur, ut intelligatis dis- » crepare ab æquitate sapientiam (1). » Operæ pretium est excipere Phili declamationes adversus justitiam : tantum enim abest ut civitas justitiam et virtutem spectare debeat ut cum justitia stare non possit. Quæ civitas augeat opes ? quæ fines propaget ? ubi Alexander? ubi tot præclare gesta ? ubi « noster hic populus » cujus imperio orbis terrarum tenetur ? Nempe « omnibus populis qui florerent imperio.... si » justi velint esse, hoc est, si aliena restituant, ad casas sit redeundum » et in egestate ac miseriis jacendum (2). » Immo quæ sunt patriæ » commoda, nisi alterius civitatis aut gentis incommoda (3) ? » Spoliis et sanguine vicinorum saginamur ; refertum ærarium est : quid refert utrum cæteræ doleant gentes an gaudeant? « quod in singulis, id est » populis » : nulla est tam stulta civitas « quæ non injuste imperare » malit quam servire juste (4).» « Arguta hæc plane ac venenata sunt, » Lactantius ait, et quæ M. Tullius non potuit refellere. Nam cum fa- » ciat Lælium Furio respondentem, pro justitiaque dicentem irrefutata » hæc, tanquam foveam, prætergressus est (5). »

Si quis autem in utilitate finem civitatis situm esse dixerit, duarum opinionum alterutram amplectetur, « hominem homini esse lupum, » ut aiunt, neque usquam terrarum fore beatam civitatem nisi vires contrarias et sibi invicem luctantes vis quædam suprema vinculis et imperio premat, vel pactionem quamdam ab initio inter cives exstitisse qua caveretur ne quis ab universorum voluntate descisceret, et beatissimam hanc esse juris societatem quæ diligentissime voluntatem omnium sequatur.

Hoc primum pace Lactantii dicam Tullium argutissimas Phili sententias facillime, ut videtur, refutare. Quas quidem alias fortasse fusius refellit, dum ipsam honestatis naturam ab origine repetit : nam si « quod in singulis, id est in populis, » eædem civitatis, quæ viri, sunt virtutes ; unde fit ut civis optimi simul et optimæ civitatis

(1) De Republica III, 6.
(2) De Republica III, 10.
(3) Lactant. Inst. l. VI, 9.
(4) De Republica III, 13.
(5) Lactant. Inst. l. V, 16.

officia descripserimus. At Lælius ipse, in his de Republica libris, uno verbo superbas voces contundit, cum naturam humanam interrogat et efflagitat interrogari. Summam et sempiternam legem esse Philus negat; insculptam in pectore monstrat Lælius : grandibus verbis Philus hominem justum, spretum, ejectum, confossum plagis, mutilatum, interfectum ostentat : respondet Lælius hæc justo viro non propter justitiam accidere neque veram felicitatem ab isto grege intelligi qui beatissimum dominum Thorum in rosa potantem clamitet. Philus, peritissimus vir, gentibus illudit quæ, occultissimorum civilis artis arcanorum insciæ, stulte juri et justitiæ consulunt : hic triumphat Lælius, hic invictissimus apparet, imminente sociali et servili bello : « Tib. » Gracchus, inquit, sociorum nominisque Latini jura neglexit ac fœ» dera. Quæ si consuetudo ac licentia manare cœperit latius, imperium» que nostrum ad vim a jure traduxerit, ut, qui adhuc voluntate nobis » obediunt terrore teneantur, etsi nobis, quia id ætatis sumus, evigila» tum fere est, tamen de posteris nostris et de illa immortalitate reipublicæ » sollicitor ; quæ poterat esse perpetua, si patriis viveretur institutis et » moribus (1). » — Bellum autem, bellum vidimus, cum de cive optimo loqueremur, qua voce noster damnaverit : quæ jam philosophiæ morali immixta, hic melius et aptius posita rursum deprehendimus : « Illa injusta bella sunt, quæ sunt sine causa suscepta. Nullum bel» lum justum habetur, nisi denuntiatum, nisi indictum, nisi de re» petitis rebus (2). » — Atenim lex impune violatur. — Quid ? pessima quæque moliuntur cives, vitiis laborat civitas, neque vos interea pœnam ultricem adspicitis ! Terribilis pœna est utpote quæ civitatis internecione conficiatur ; « civitatibus mors ipsa pœna est, quæ vide» tur a pœna singulos vindicare (3). » Scilicet mox canet in Urbe Juvenal : ***Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem.*** Injusta bella, injusta incrementa vitiis et intestinis pestibus et interitu populi luunt.

Vos igitur, Epicuræi, beatam hanc civitatem quæ vinculis oppressa sopiatur declarabitis. Nempe hæc Philus : « Cum alius alium timet et » homo hominem et ordo ordinem, tum quia sibi nemo confidit, » quasi pactio fit.... ex quo exsistit id quod Scipio laudabat, conjunc-

(1) De Republica III, 21.
(2) De Republica III, 18.
(3) De Republica III, 19.

» tum civitatis genus (1). » Ergo vis homines congregavit, vis congregatos tenet; nihil præter vim in civitate, nihil præter vim in jure imperandi. Hic præclare noster : « Ut animus corpori dicitur imperare, » dicitur etiam libidini; sed corpori, ut rex civibus suis aut parens » liberis, libidini autem ut servis dominus; quod eam coercet et frangit. » Sic regum, sic imperatorum, sic magistratuum, sic patrum, sic » populorum imperia civibus sociisque præsunt ut corporibus animus (2). » Nempe pulchram et sanctam domesticæ gentis effigiem in civitate aboletis, quanquam, ut ait Augustinus, « satis apparet esse » consequens ut ad pacem civicam pax domestica referatur, id est, » ut ordinata imperandi obediendique concordia cohabitantium refe- » ratur ad ordinatam imperandi obediendique concordiam civium (3). » Hoc Tullianum, hoc Christianum; rex vere paterfamilias esse dicitur : « Qui autem veri patresfamilias sunt omnibus in familia, tanquam » filiis consulunt (4). » Sed, quæso, num aliter civitatis utilitati consulitur? Utile est, aiunt, vi compescere seditiones, iras, bella; nihil orbi perniciosius quam magnam manum Jovis, nihil urbi quam vim regiam coercere : concedamus quidem, si reges Jovi simillimi sint. Quid autem hic divina nomina, voluntates divinas affertis, cum vis ista, in qua consistit vestra civitas, vincitur ac superatur principe lege illa et ultima quam vere dicunt esse « mentem omnia ratione aut » cogentis aut vetantis dei... Quamobrem lex vera atque princeps, » apta ad jubendum et ad vetandum, ratio est recta summi Jovis (5). » Tyranno, utilitatis causa, cervices subjicitis! « Ubi tyrannus est, ait » noster, ibi non vitiosam, sed plane nullam rempublicam dicendum » est (6) ».

Quis enim ex tali officina rempublicam tyrannus invaserit, nemini dubium reor. Cui dissimillimum ducem, qualis e schola Platonis, qualis ex Evangelii luce exstiterit, ex altera parte libet intueri : Juste imperet, Christianus ait; inter linguas sublimiter honorantium e obsequia nimis humiliter salutantium non extollatur, sed se hominem esse meminerit, Deum timeat, diligat, colat, plus amet illud regnum

(1) De Republica III, 10.
(2) De Republica III, 19.
(3) De Civitate Dei, l. XIX, c. XIV.
(4) De Civitate Dei, l. XIX, c. XIV.
(5) De Legibus II, 4.
(6) De Republica III, 23.

ubi non timeat habere consortes, tardius vindicet, facile ignoscat; quod aspere cogitur plerumque decernere, misericordiæ lenitate et beneficiorum largitate compenset, malit cupiditatibus pravis quam quibuslibet gentibus imperare (1). Terris quidem propiora noster cecinit, terris autem fortasse melius accommodata.

Fingit iste Philus odia quædam incredibilia quæ hominem in hominem accendunt; quemadmodum autem respublica consilio quodam regenda est, sic id consilium primum semper ad eam causam referendum est, quæ causa genuit civitatem (2). Referamus igitur ad naturalem generis humani societatem et caritatem quæ cum justitia conjuncta est. Nempe hoc natura tulit non solum ut summi virtute et animo præessent imbecillioribus, sed ut hi etiam parere summis vellent (3). Quœso, quis vim requirat? quis tyrannum vocet? Scilicet nihil potest esse præclarius virtute gubernante rempublicam, « cum » is, qui imperat aliis, servit ipse nulli cupiditati; cum quas ad res » cives instituit et vocat, eas omnes complexus est ipse, nec leges » imponit populo, quibus ipse non pareat, sed suam vitam, ut legem, » præfert suis civibus (4). » Vim igitur virtuti subjice. « Nihil est » enim exitiosius civitatibus, nihil tam contrarium juri et legibus, » nihil minus civile et humanum quam in constituta republica quid- » quam agi per vim (5). »

Sed mali castigandi sunt; malique vi castigantur, quod summum moderatoris reipublicæ munus est. Hic autem legi cuidam excelsæ vim quoque subditam reperimus : « Omnis enim et animadversio et cas- » tigatio contumelia vacare debet... Cavendum est etiam ne major » pœna quam culpa sit, et ne iisdem de causis alii plectantur, alii ne » appellentur quidem. Prohibenda autem maxime est ira in punien- » do... Illa vero omnibus in rebus repudianda est, optandumque ut » ii, qui præsunt reipublicæ, legum similes sint quæ ad puniendum » non iracundia, sed æquitate ducuntur (6). » Munus idem, idem officium regibus divina Christi lex imperat : « Veniam non ad im-

(1) De Civitate Dei, l. V, c. XIX.
(2) De Republica I. 26.
(3) De Republica I, 34.
(4) De Republica I, 34.
(5) De Legibus III, 18.
(6) De Officiis I, 26.

» punitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgeant (1), » vel si puniendum est, « si quis per inobedientiam... paci... adver- » satur, corripiatur seu verbo, seu verbere, seu quolibet alio genere « pœnæ justo atque licito... ut paci unde dissiluerat coaptetur (2). » Præclaram quidem Tullianæ sapientiæ Christianæque fidei concordiam! ambæ ab æquitate proficiscuntur, ambæ nocentem, vel dum plectunt, respiciunt, nedum hic nihil, vi sublata, videant, nedum omnia vi et utilitate includi æquum censeant.

Atenim dicet aliquis : Mire quidem hic utilitatem civitatis uni homini creditam ostendis, neque arduum est adversus eam civitatem verba facere : quid enim absurdius inveniri potest quam unius viribus premere hominum cœtum, ne alter ab altero prematur? Quid tetrius quam utilitatis causa utilitates omnium impotenti cuidam tyranno subjicere? Ipse dixisti rempublicam rem esse populi : sequitur ut in suprema omnium voluntate rempublicam consistere existimes. Hæc est vera pactio, hæc ad ipsam civitatis naturam accommodata : quod omnibus ratum est, id omnibus utile est : hic igitur summam legem, hic fundamentum civitatis esse confiteamur.

Impiam quidem vocem et sæpius in vulgus jactatam! Num ideo lex erit perfecta quia suffragiis omnium lata erit? Num jus est majus quiddam tyranni voluntate, minus quiddam populi furore? Hoc primum optimo cuique, ut opinor, compertum est ut utilitatem, quam insequeris, sic minime assequaris. « Non est enim consilium in vulgo, » non ratio, non discrimen, non diligentia ; semperque sapientes ea, » quæ populus fecisset, ferenda, non semper laudanda duxerunt (3).» « Est enim, ut præclare dixit Lælius, tam tyrannus iste conventus » popularis quam si esset unus, hoc etiam tetrior, quia nihil ista » quæ populi speciem et nomen imitatur, immanius bellua est (4). » Lex est suprema, naturæ et justitiæ consentanea : « Nec vero jam » aliam esse ullam legem puto non modo habendam, sed ne appel- » landam quidem (5). » Nihil est enim populus perniciosa et pestifera sanciens nisi latronum quidam conventus ad diripiendam civitatem enecandamque paratus et accinctus. Scilicet ipse populus ad

(1) V. De Civitate Dei, l, V, c. XIX.
(2) V. De Civitate Dei, l. XIX, c. XVII.
(3) Pro Plancio, 4,
(4) De Republica III, 25.
(5) De Legibus II, 6.

reipublicæ gubernacula poterit accedere, dum modo excelsa quadam lege fretus accedat, quod est fundamentum civitatis.

Restat igitur ut ad philosophiam moralem revertamur, si fundamentum reipublicæ quærere velimus. Hic autem utile ab honesto nunquam secernere Tullium ostendimus : neque is est qui secernat in ordinanda civitate. Alii justitiam in utilitate sitam esse crediderunt ; hic utilitatem in justitia. Nempe putat,ut antea dictitabam, tum florentem, tum prosperam, tum potentem rempublicam fore, si justitiam colat, si Deos vereatur, si virtutes in se quam maxime absolvat et perficiat. Ille quoque, si Augustini temporibus in mundum sparsisset Christianam religionem, virtute Romanos in immensum crevisse, et pietate, justitia, moribus orbem terrarum sui juris fecisse dixisset, quippe qui specimen quoddam optimæ civitatis in antiqua Roma videret. Moribus autem sublatis, frustra æternam Urbem et late regem populum et imperium Oceano terminatum ostenditis : ubi imperium populi Romani non beneficiis teneri cœpit, sed injuriis ; ubi magistratus imperatoresque ex hac re minimam laudem capere studuerunt, si provincias, si socios æquitate et fide defendissent, « jure plectimur, » ait, dum Cæsarem meminit ; « nisi enim multorum impunita scelera « tulissemus, nunquam ad unum tanta pervenissset licentia... Itaque » parietes modo Urbis stant et manent ; rem vero publicam penitus » amisimus (1). »

Quicumque autem a Deo civitati finis imponitur, huic reipublicæ formam accommodemus necesse est : multas enim reipublicæ formas reperimus, de quibus antiquitus disputare usitatum. Nostræ igitur optimæ civitatis, Tullio duce, formam placet instituere.

§ IV.

Tres sunt formæ reipublicæ, regnum, cum penes unum est omnium summa rerum, ἀριστοκρατία cum est penes delectos, civitas denique popularis in qua in populo sunt omnia (2).

Hoc autem præsertim in civitate M. Tullii cavendum est ne qua reipublicæ forma simplex instituatur. Tres enim formas separatim intuearis licet atque optime componas, tolerabiles quidem esse pote-

(1) De Officiis, II, 8.
(2) De Republica I, 26.

runt, « nam vel rex æquus ac sapiens, vel delecti ac principes cives, » vel ipse populus, quanquam id est minime probandum, tamen » nullis interjectis iniquitatibus aut cupiditatibus posse videtur aliquo » esse non incerto statu (3), » perfectæ vero et ad optimam civitatem accommodatæ nunquam esse dicentur. Finge igitur optimum regnum, finge Cyrum hunc sapientissimum justissimumque Persarum regem; « tamen respublica non maxime expetenda fuisse illa videtur, cum » regeretur unius nutu. » Neque si Massilienses justissimum optimatium dominatum, Atheniensesque splendidissimum quibusdam temporibus δημοκρατίας genus ordinaverunt, ideo Massiliæ aut Athenarum noster exempla sequetur; nam suum cuique vitium inhærere formæ simplici demonstrat, neque demonstrare perdifficile est, si popularia de regno et optimatium dominatu, si unius paucorumve imperio consentanea de populari civitate loquaris. Quid enim? « in regnis » nimis expertes sunt cæteri communis juris et consilii; in optima» tium dominatu vix particeps libertatis potest esse multitudo, cum » omni consilio communi et potestate careat. » Nihil ita populare : hoc autem a populari genere dicendi alienum : « eum omnia per po» pulum geruntur, quamvis justum atque moderatum, tamen ipsa » æquabilitas est iniqua, cum habeat nullos gradus dignitatis (2). » Sed quemadmodum singulas reipublicæ formas proprio et peculiari vitio, sic universas communi quadam peste infectas profiteamur necesse est. Scilicet hic nequaquam iter medium, justum iter teneat respublica; hic nequaquam stet « ponderibus librata suis; » sed is est habitus rerum ut nec se ferat civitas neque possit quin mole sua in præceps ruat : « Nullum est genus, ait, illarum rerumpublicarum » quod non habeat iter ad finitimum quoddam malum præceps ac lu» bricum. » Nempe ita est : cum istiusmodi civitates ferantur nimia vi et nulla rerum temperatione cohibeantur, facili et proclivi cursu ad simillimum ac deterrinum reipublicæ genus delabuntur. Ex quo sequitur ut regnum in tyrannidem, et ἀριστοκρατία in paucorum factionem, ut populi imperium in furentem quamdam multitudinis licentiam natura convertatur. Unaquæque igitur reipublicæ forma simplex in finitimum quoddam et pessimum reipublicæ genus illico necessaria quadam lege desinit.

(1) De Republica I, 26.
(2) De Republica I, 27.

Neque autem ideo prima conversio facta est ut immota quadam pace civitas acquiesceret. Quis enim credat factionem aut tyrannicam, aut popularem, aut optimatium pravissimo dominatu conflatam, diu stare posse ? quis non videt, ut putridæ fruges decidunt, sic corruptissimæ cuique reipublicæ maturius esse pereundum ? Scilicet nova rerum conversio imminet. Quid ? quo trahimur ? Hæc erat quælibet forma reipublicæ simplex ut plurimos orbes et quasi circuitus in rebus publicis commutationum pareret : hos penitus nosse sapientis est, hos prospicere « magni cujusdam civis et divini pœne est viri (1). »

Pauca igitur de mutationibus rerum disseramus, cum adversus simplex reipublicæ genus nihil acerbius inveniri potest. Quid enim civitati tam funestum, quid tam exitiabile ? num quicquam est quod ita populos a vera via, hoc est, a virtutis indagatione et exquisitione deterreat ? Æquitatem colat civitas, erga Deos pietatem colat ; justitiam et virtutem in se omni ope absolvat : quid de hujuscemodi præceptis in rerum commutationibus ? Hæc est vestra cura, populi, hoc a vobis munus susceptum, ut flagitiosissimis artibus everteretis stantem columnam, et a pessima republica in pejorem rueretis : quæ dum turpis persona conficitur, a Deo partes statutas obliviscimini. Tanta vero mala ex vitiosa reipublicæ constitutione manare cœperunt : nempe, ut antea diximus, simplex quæque forma in finitimam deterioremque degenerare solet : hæc autem commutationum secunda lex est « ut » omnia nimia in contraria fere convertantur (2). » Inde fit ut ple- » rumque « ex hac maxima et effrenata libertate tyrannus gignatur, » et illa injustissima et durissima servitus. » Tyrannum enim faciunt aut optimates, dum populum timent, aut factio quædam popularis, dum factionem alteram metuit, aut populus, dum stulte optimatibus invidet : « Ex hoc enim populo indomito vel potius immani deligitur » aliquis plerumque dux contra illos principes, afflictos jam et de- » pulsos loco, audax, impurus, consectans proterve bene sæpe de re- » publica meritos, populo gratificans et aliena et sua (3). » Nempe, ut videmus, interitus optimatium ex nimia potestate optimatium oritur ; quæ quidem duobus modis perire potest, si tyrannide opprimitur et exstinguitur, si optimatium sanguinem populus gustare tentaverit

(1) De Republica, I, 29.
(2) De Rep. I, 44.
(3) De Republica I, 44.

ac totam rempublicam libidini suæ substraverit. Sic autem regnum dejici solet : « cum rex injustus esse cœperit, perit illico genus (1), » et in tyrannidem vertitur : quam quidem plerumque popularis habitus rerum excipit, nunc propter mentem recti consciam moderatior, nunc impotentia et vi et libidine correptus : tum fit illud quod apud Platonem est luculente dictum et mire apud Romanos a Cicerone translatum, cum inexplebiles populi fauces siti libertatis exaruerunt (2) : neque is erat Tullius qui in re tali Platone remissior foret. Fit quoque ut tyrannidem optimates opprimant, et ad pristinum integrumque statum quodammodo revocent; « est enim quasi regium, id » est, patrium consilium bene populo consulentium. » « Sic tanquam » pilam rapiunt inter se reipublicæ statum tyranni ab regibus; ab iis » aut principes aut populi; a quibus aut factiones aut tyranni; nec » diutius unquam tenetur idem reipublicæ modus (3). »

Quæ cum ita sint, civitatis nostræ conditor diversissimas reipublicæ formas intueatur, singulas investiget, et quamvis nullam omnino probet, optimam ex tribus eligat necesse est.

Regia primum occurrit reipublicæ forma, cujus fundamentum est caritas. Nempe Tullius noster, quo nemo unquam in vincienda et laudanda hominum naturali caritate præstantior fuit, a prima civitatis origine regiam potestatem apparuisse existimat (4), cum hic semper « occurit nomen quasi patrium regis, ut ex se natis, ita consulentis » suis civibus, et eos conservantis (5). » Regiæ autem potestati quodlibet simplex genus reipublicæ postponit, quod quidem innumerabilibus argumentis demonstrare omni ope adnititur. Sic « ab Jove putat » incipiendum » (si liceat terrestre regimen comparare cum terrestri imperio) : nam si Deorum unus rector esse dicitur, idemque et rex et pater habetur omnium, si gentes in hoc unum consenserunt, nullo pacto fieri potest quin unius nutu et voluntate civitas bene gubernetur. Neque paulo post in scenam producit veteres Romanos qui, si Romulum sibi ducem fecere, testes nec nimis antiqui nec ullo modo barbari sunt quam longe regnum cæteris reipublicæ formis antecellat. Ridicula sane argumenta, si quidquam ridiculum noster argumentari po-

(1) De Republica I, 42.
(2) De Republica I, 43.
(3) De Legibus III, 2.
(4) De Legibus III, 2.
(5) De Republica I, 35.

tuisset! Hæc autem graviora, hæc vere ex gremio Platonis effusa : animus enim ira ferox, voluptate incensus, addictus libidini, unum perfugium in supremo tutoque ductu rationis habere potest. « Cur » igitur dubitas quid de republica sentias? in qua, si in plures trans- » lata res sit, intelligi jam licet nullum fore, quod præsit, imperium : » quod quidem, nisi unum sit, esse nullum potest (1). » Hæc insuper : » Scipio. Animum adverte nuper, cum essemus in Formiano, te fa- « miliæ valde interdicere, ut uni dicto audiens esset. Lælius. Quippe » villico. Scipio. Quid domi? pluresne præsunt negotiis tuis? Lælius. » Immo vero unus. Scipio. Quin tu igitur concedis idem in republica, » singulorum dominatus, si modo justi sint, esse optimos (2)? » Quid enim aliter privata, aliter publica ordinemus? Immo quid aliter bellica, aliter domestica? Maximum enim argumentum res bellicæ præbere solent : « Ut ille qui navigat, cum subito mare cœpit horres- » cere et ille æger, ingravescente morbo, unius opem implorat : sic » noster populus in pace et domi imperat, et ipsis magistratibus mi- » natur, recusat, appellat, provocat : in bello sic paret, ut regi : valet » enim salus plus quam libido (3). » Inde fit ut inter simplices reipu- blicæ formas, regia longe cæteris antecéllat (4) : inde, ut in temperata et mixta forma reipublicæ jure quiddam regium emineat.

Ἀριστοκρατία dein occurrit, cujus fundamentum est consilium (5). Scilicet optimates sapientissime de republica disceptant, coëunt in optimos sanctissimosque conventus qui de summa rerum decernant, mira demum prudentia et felicitate reipublicæ consulunt. Non ideo regia probat noster ut delectorum civium vim ac potestatem obruat : proxima regiæ civitati delectorum civitas ostenditur. Acerrimas laudes audite, dum pro Sextio loquitur, dum invehitur in populares magis- tratus, dum ex optimatibus rem Romanam constare demonstrat. Qui sunt optimates? « Sunt principes consilii publici, sunt, qui eo- » rum sectam sequuntur, sunt maximorum ordinum homines, quibus » patet curia; sunt municipales, rusticique Romani; sunt negotia » gerentes; sunt etiam libertini optimates. Numerus, ut dixi, hujus » generis, late et varie diffusus est : sed genus universum, ut tollatur

(1) De Republica I, 38.
(2) De Republica I, 39.
(3) De Republica I, 40.
(4) V. De Republica *passim* I, 45, 35, etc.
(5) De Rep. I, 36.

» error, brevi circumscribi et definiri potest. Omnes optimates sunt, » qui neque nocentes sunt, nec natura improbi, nec furiosi, nec » malis domesticis impediti (1). » Hic nescio an quicquam nimis oratorium sonet : sed qno habitu delectorum et vim et consilium nostra civitas excipiat, videre est : videre est quoque quos optimates excipiat : hoc enim ante omnia cavendum est ne falsa et obsoleta de optimatibus sentiamus. « Nam... opes vacuæ consilio et vivendi atque aliis impe- » randi modo dedecoris plenæ sunt et insolentis superbiæ ; nec ulla » deformior species est civitatis, quam illa in qua opulentissimi optimi » putantur (2). » Hi sunt vere optimates qui unius impotentiæ poterunt obstare, dum concitatæ multitudinis furorem cohibebunt, hi sunt optimates qui, virtute opibus freta, lascivientem regis potestatem coercebunt simul et libertatem adversus populares impetus muro quodam vallabunt. Rempublicam igitur optimates quoque capessant.

Quid autem de populari civitate? id enim restat genus vitiosissimum reipublicæ tertium (3) ; quod, licet minus probandum Tullius putet, nullum tamen locum in civitate habere non sinat. Nempe, ut mens humana, dum in se virtutem absolvit, omnium facultatum ope et auxilio cursum tenet, sic reipublicæ conditor cavebit ni vitale quidquam de civitate detrahat. Δημοκρατίας libertas fundamentum est (4). Nulla autem civitas carere debet libertate utpote quæ visceribus nostris penitus hæreat nostræque naturæ lex peculiaris esse videatur. Ergo nihil humani a se nostra civitas alienum putet, popularemque libertatem regis imperio consilioque delectorum adjiciat. Nec vanam effigiem libertatis mihi quisquam ostendat ! « Quæ si æqua non est, ne » libertas quidem est (5). » Æquemus vero libertatem ; sic incipit hæc prima lex observari ut in civitate, id est, in juris societate, civium conditio quam simillima sit, dummodo legem hanc omnium moribus et temporum necessitatibus accommodemus. Inde fit ut idem singuli, idem universi et cupiant, et suum putent et conficiant. Forma enim civitatis occurrit qua nulla reipublicæ pars imminuatur, qua nulla nimio pondere cæteras et premat et aboleat. Cum igitur quasdam res servandas judicio voluntatique multitudinis esse sensimus, jam quid-

(1) Pro Sextio, 45.
(2) De Rep. I, 34.
(3) De Republica III, 26, 27.
(4) De Republica I, 31, 35.
(5) De Republica I, 31-33.

dam habemus quod erit æquatum et temperatum ex tribus optimis rerumpublicarum modis.

Inde oritur, ut præclare noster ostendit, mira civitatis æquabilitas et firmitudo. Quid enim in regno? Optimates et multitudo sæva in regnum cogitant. Quid in civitate populari? Nunc principes viri, nunc tribunus nescio quis subnixus multitudinis consensu rempublicam suam facere moliuntur. Sæpius autem accedit ut optimatium sanguinem multitudo sitiat. Hic autem inest regale quiddam, quod nemo inter optimates evertere velit, nam sedent ipsi optimates ad gubernacula reipublicæ, imo evertere possit, nam et rex et populus optimatium effrenatum furorem coerceant. Rempublicam quoque administrant optimates, qui adversus plebem regia, adversus regem populari ope defenduntur : reipublicæ particeps quoque multitudo est, quam nemo excludere tentabit, ne, periculo instante, socia desit reipublicæ retinendæ. Inde fit ut temperata tribus formis diutissime civitas constet. Immo dum simplices formæ in pejus degenerare solent, pura et integra permanet hujusce junctæ moderateque permixtæ conformatio reipublicæ. « Non est enim causa conversionis, ubi in suo » quisque est gradu firmiter collocatus et non subest quo præcipitet » ac decidat (1). » Non libertas in licentiam vertitur, regis imperio, procerum consilio stabilita; non regnum in tyramidem, quod ne unus quidem civis, si rebus suis consulat, velit eradicare; non delectorum consilium in sævam paucorum impotentiam, quippe quod non modo hinc et illinc coerceatur, sed etiam, quoties consenescere incepit, ut fit sæpius, gremio juvenile semen accipiat et interdum populari robore reparetur. Inde fit ut librata et ponderata civitas nunquam mole sua ruat.

Hoc autem ex principiis mire deducitur ut, dum tres formas componimus et temperamus, non stulte vim triplicem in tres æquas partes dispertiamur, sed munus cuique suum adscribamus : quod quidem nusquam in Tullio reperire est. Scilicet, cum simplices formas investigat, regiam cæteris anteponit : quid de regia potestate in nostra republica? Si quis regi imperium committi, regem consilio procerum et populi libera voluntate summæ rerum præsse crediderit, forsan melius veram effigiem mixtæ civitatis imitabitur, sed nescio quo pacto a Tulliana republica longe abhorrebit. Vituperat enim Tullius res La-

(1) De Republica I, 45.

cædemonias et cur vituperat? quia quanquam lecti patres appellati sunt, et populo potestatis aliquid creditum est, « tamen excellit atque » eminet vis, potestas nomenque regium (1). » Sed, quœso, quin excellat et emineat, cum regno nuper optimatium ac plebis civitatem postposuisti? Nimirum Tullius tyrannos et meminerat et metuebat: qui, si Romulum Ennii carminibus cecinit, hæc de Tarquiniis loquebatur : « Vides unius injustitia concidisse genus illud totum reipu- » blicæ (2) ; » inde hæc et talia : « Est igitur fragilis ea fortuna populi » quæ posita est in unius, ut dixi antea, voluntate vel moribus (3). » Adde Tullium, dum libros de Republica conficeret, hoc ante omnia expetiisse ut pristinam reipublicæ Romanæ formam Romanorum oculis subjiceret, et exstinctum morum antiquorum amorem exstimularet iterum et accenderet. Neque is erat noster qui, regibus expulsis, regium quidquam supra consulare imperium extolleret. Libratam igitur civitatem habemus, sed quomodo libratam? Nescio an jure de tanta quæstione Tullius siluerit, quippe qui, si præclare intellexerit vivum nihil e republica tollendum, immo nihil tam firmum excogitari posse quam nervis omnibus munitam et viribus omnibus coagmentatem civitatem, senserit tamen jure alias optimates, alias regem excellere et eminere, neque ullo pacto fieri posse quin rebus et temporibus reipublicæ status accommodaretur.

Is igitur mixtæ ac temperatæ civitatis habitus erit ut cursus felix detur et secundus, quandoquidem « moderatori reipublicæ beata » civium vita proposita est (4). » Inde hoc : Nihil in republica, nisi pro republica. Sic, Tullio duce, de summa potestate populi, ut aiunt, litem institutam dijudicabimus : hoc ante omnia providendum est ne in republica magnam auctoritatem iis adscribamus qui reipublicæ obesse possunt, seu prudentia deest, seu libertas. Inde fit ut noster hoc semper in republica tenendun arbitretur, ne plurimum valeant plurimi (5). Quomodo enim liberi sint, cum suffragia facillime divites emant; si liberi, quomodo prudentes? « Intus, intus, inquam, est » equus Trojanus (6), » cum ubique terrarum sint tribuni qui mire

(1) De Republica II, 28. V. De Republica II, 23.
(2) De Republica I, 41.
(3) De Republica II, 28.
(4) De Republica V, 6.
(5) V. De Republica II, 22.
(6) Pro Murena.

instructam compagem magis ac magis in dies labefactent. Is igitur valeat in suffragio plurimum cujus plurimum interest esse in optimo statu civitatem (1).

§ V.

Ita enim civitas ordinanda est ut persona duplex civium sit, cum hinc finem suum quisque petat, illinc in bonum publicum universi consentiant. Etenim in hoc consensu vis quædam sita est ac potestas, singulorum commodis congruens : inde fit ut publica plerumque a civitate adolescentium educatio instituatur, inde ut tributa conferantur, ut ærarium communibus necessitatibus subveniat. Sæpe autem accidit ut civitatis conditor, dum cives universos spectat, singulorum obliviscatur, privatamque vitam vitæ publicæ subjiciat. Hic dissolutum nihil ; norma semper eadem, diffusa in omnes, constans et perpetua ; vix quidquam reperias quod legum lator omiserit : hic autem liberum nihil ; quidquid vitale est in foro est, vel in foro compressum tamen et coarctatum : simillimam quidem rempublicam mutis machinis ubi nihil per sese movetur aut volvitur, sed universa compages ab aqua aut vento aut arcana quadam vi motus alienos accipit ! Fit quoque ut civium universitatem legum lator negligat, nullis publicis muneribus privatam vitam impedire velit aut adstringere : hic omnia libera, sed dissoluta ; sponte sua singuli vivunt et spirant et ambulant, sed universi huc illuc variis voluntatibus rapiuntur : civitas vinculo frenoque caret. Neutram noster instituet.

Educationem publice datam (2) repudiat : cur repudiet, primum docet mos Romanus quo duce nunquam se vera via desciscere posse in ordinanda civitate Tullius crediderit, Græca dein licentia qua nihil immoderatius sæpe inveniri poterat. Quam noster in hunc modum insectatur : « Juventutis exercitatio quam absurda in gymnasiis ! » quam levis epheborum illa militia (3) ! » Inde in feros masculorum amores et lege consecratos complexus atque concubitus invehitur. Non ita res Romana stetit et crevit. Scilicet antiquitus instituta familia, vigente adhuc patria potestate, nemo erat apud Romanos qui filios

(1) V. De Republica II, 22.
(2) De Republica IV, 3.
(3) De Republica IV, 4.

domo avertendos et in communem quamdam congregationem transferendos esse arbitraretur. Crescent igitur domi, varie quidem ad publicam vitam instructi et accincti, sed ita ad varia munera civitatis explenda fortasse paratiores, neque, vel ante Christianos mores, omnem vitam, omnem animum in foro fortasse consument. Ne igitur certa aut destinata legibus aut publice imposita aut una omnium sit educatio (1).

Quid autem de tributis? Hic quoque singulorum libertas integra et intacta, quin etiam singulorum fortunæ publicis necessitatibus illæsæ permaneant. « Danda est opera ne.... propter ærarii tenuitatem assi-» duitatemque bellorum tributum sit conferendum; idque ne eveniat » multo ante erit providendum. Si qua necessitas hujus muneris ali-» cui reipublicæ obvenerit, danda erit opera ut omnes intelligant, si » salvi esse velint, necessitati esse parendum (2). » Quod autem de omnibus civitatibus noster locutus est, ut de Romana republica vehementer probo, sic de cæteris nequaquam intelligo, nisi forte subditos habeant cæteræ quoque populos quorum sanguis et thesauri heriles impensas luant.

Ne qua igitur publice fiat privatarum fortunarum perturbatio: quod enim de tributis, quam vehementius de legibus agrariis aut tabulis novis noster impugnat! « Tabulæ enim novæ, quid habent argu-» menti, nisi ut emas mea pecunia fundum, eum tu habeas, ego non » habeam pecuniam (3)? » Nihil injustius, sed nihil absurdius. « Qui » agrariam rem tentant, ut possessores pellantur suis sedibus, aut » pecunias creditas debitoribus condonandas putant, labefactant » fundamenta reipublicæ. » Quam igitur acriter invehitur in atrocem privatarum et rerum et opum conculcationem! « Habitent gratis in » alieno? Quid ita? Ut, cum ego emerim, ædificarim, tuear, impen-

(1) Cf. De Republica IV, 3. *Egger*, cum Facultati Litterarum Parisiensi disceptandam thesim de educatione apud Romanos proponeret, hæc citabat: « Nullam certam aut desti-» natam legibus aut publice expositam aut unam omnium esse voluerunt (disciplinam).» Illam autem vocem paulo post Titi Livii sententia confirmabat: « Mos erat Faliscis eodem ma-» gistro liberorum et comite uti: simulque plures pueri, quod hodie quoque in Græcia » manet, unius curæ demandabantur.... » Romanæ igitur juventuti, Egger ait, nulla communis educatio data erat: unde fit ut cum moribus Romanis T. Livius Græcorum et Faliscorum mores opposuisse videatur (p. 15).

(2) De Officiis II, 21.

(3) De Officiis I, 21.

» dam, tu, me invito, fruare meo? Quid est aliud aliis sua eripere, aliis dare aliena (1)? » Scilicet idem ista vetat, dum ordinat civitatem, idem adversus Rullum fulminabat.

Ne autem credamus hic rigidis, hic ferreis legibus uti Ciceronem utpote qui, dum administravisset publica, nihil valere, nihil stare, nisi usu temperatum et mitigatum intellexisset. Prohibet quidem ne magistratus fortunis privatis sese immisceant, hoc metuens ne privata publicis immolentur; jubet vero omnes qui rempublicam gubernant, consulere ut earum rerum copia sit, quæ sunt necessariæ. Idem ædilis liberalitate Siculorum ad annonam levandam utebatur; idem consul ne frumenta Italia exirent prohibebat. Immo noster, dum novas tabulas exsecratur, « ne sit æs alienum, quod reipublicæ noceat, » providendum esse (2) » docet, quod « multis rationibus caveri posse » existimat, unde hoc intelligi potest ut in nostra civitate minuere usuras et ad unciarium fœnus redire legum lator non dubitet.

Egregios enim magistratus habet nostra civitas, qui sæpe de minimis curent, et præsertim de comœdia. Scilicet indignatur Tullius Atheniensi carmine Periclem illum, « cum jam suæ civitati maxima » auctoritate plurimos annos domi et belli præfuisset, » violari impune et lacerari. Quare XII Tabulas rem præclare sanxisse docet, quæ capite sanxerant: « Judiciis enim, ait, ac magistratuum disceptatio- » nibus legitimis propositam vitam, non poetarum ingeniis habere » debemus; nec probrum audire nisi ea lege ut respondere liceat et » judicio defendere (3). » Hæc enim legum ac magistratuum vis ac potestas esse debet ut non modo cives universos, sed etiam singulos perpetuo protegant: quod præsidium in petulantem Athenarum lasciviam desideratur.

Ergo magistratus quidam instituetur a quo Cleones melius est quam a poeta notari (4). Quo patriam aliquando caruisse, ut infra videbimus, Tullius indignans, longam de censoribus legem feret (5), dignitatemque pristinam pio quodam amore retinebit. Magistratus idem

(1) De Officiis II, 23.
(2) De Officiis II, 24.
(3) De Republica IV, 10.
(4) De Republica IV, 10.
(5) In libris de Legibus.

funerum et sepulcrorum sumptibus invigilabit; nam privatos quoque sumptus et cognosci et coerceri posse Tullius existimat. Habemus, ut opinor, civitatem in qua pleno ac proprio motu et vita publica et vita privata vigeant.

§ VI.

Restat ut partes nostræ civitatis inter cæteras gentes describamus, quod legum lator et pro patria, et pro terrarum orbe universo provideat necesse est.

Hoc ante omnia cavebit ne urbem ita condat ut facilius opes cum cæteris populis ea communicet, moresque et animos cæterorum populorum accipiat. Quid enim prodest diligentissima cura civitatem ordinare, quid divinum iter ostendere, si, moribus novis gliscentibus, sacer et magnus labor irritus fiat? quid prodest virtutem docere, si vitium cæteri doceant? Ergo non ita demens erit ut maritimam urbem condat; quæ quidém « illam magnam habet commoditatem, et, » quod ubique gentium est, ut eam urbem, quam incolas, possit adnare; et rursus, ut id, quod agri efferant sui, quascumque velint » in terras portare possint ac mittere (1), » sed tantis vitiis laborat ut brevi, Corinthi et Carthaginis instar, mercandi cupiditate et navigandi pervertatur. Est enim maritimis urbibus « quædam corruptela ac mutatio morum : admiscentur novis sermonibus ac disciplinis, et importantur non merces solum adventitiæ, sed etiam mores, ut nihil » possit in patriis institutis manere integrum. Jam qui incolunt eas » urbes non hærent in suis sedibus, sed volucri semper spe et cogitatione rapiuntur a domo longius; atque etiam cum manent corpore, » animo tamen excurrunt et vàgantur.... Quid dicam insulas Græciæ? » quæ, fluctibus cinctæ, natant pæne ipsæ simul cum civitatum institutis et moribus (2). » Scilicet hoc tantum recentioribus historiis inscribi poterat, quomodo quædam insula dives opum, longe lateque classibus constratum mare imperio frenaverit simul, et intus sancta quadam pietate majorum instituta, mundo mirante, servaverit. Hoc autem in terrarum orbe inauditum, hoc in antiquitate ignotum, et jure dici poterat propter vitia maritimarum urbium Græciam conci-

(1) De Republica II, 4.
(2) De Republica II, 4.

disse, jure prohiberi ne nostra civitas in littore minarum pleno conderetur. Addendum est enim « urbes maritimas non solum multis » periculis oppositas, sed etiam cæcis.... Maritimus ille et navalis » hostis ante adesse potest quam quisquam venturum esse suspicari » queat; nec vero cum venit, præ se fert, aut qui sit, aut unde ve- » niat, aut etiam quid velit; denique ne nota quidem ulla pacatus an » hostis sit, discerni ac judicari potest; » unde hoc merito judicium ferri poterat « non esse opportunissimos situs maritimos urbibus » eis, quæ ad spem diuturnitatis conderentur atque imperii (1). »

Neque tamen is erat noster qui claudendam civitatem existimaret, et, si vicini populi magna sentirent agerentve, quidquam inde redundare in suos indignaretur. Qui Athenas se contulerat, qui Asiam perlustraverat ut oratorum et philosophorum præcepta combiberet, non hæc horridius et agrestius : « Infesta, mihi credite, signa ab Syracusis illata » sunt huic urbi; jam nimis multos audio Corinthi et Athenarum or- » namenta laudantes mirantesque et antefixa fictilia deorum Roma- » norum ridentes » in senatu dixisset. In mercandi consuetudinem invehitur simul et civitatem omnibus aperit, neque, si quid peregrinus haud omnino moralibus philosophiæ suæ præceptis consentaneum senserit, ideo ex urbe sua censet ejiciendum. Finge urbem quæ mundum suum faciat, quæ cæteros populos ad nihilum redigat, ita ut hinc nulla sit populorum æmulatio, illinc nulla consiliorum aut sententiarum communicatio : simul omnes consenescent, nedum alter alteri quidquam, unde reparetur, suppeditet; et quia solitudo facta erit, urbs rerum domina in se residet et corruet.

Neque igitur ita jus urbis nostræ ordinabimus ut peregrini hostium ferme numero sint et beneficio legum civitatis orbentur. Quid enim de nostra philosophia? quid de Stoicorum disciplina quæ sæpius urbi condendæ præfuit? Ostendimus hominem cum cæteris hominibus arctissimo vinculo consociatum, totius mundi civem ostendimus. Quomodo fiat ut vincula rumpere noster studeat? cur leges infixas in pectore aboleat? Quid caritatem, ut ipse dixit, in schola prædicet, in foro obliviscatur? Scilicet eam esse legem ipse docet ut perpetuæ divinæque legis imago sit : quomodo lex æterna, constans, « diffusa in omnes, » inimica peregrinis esse videatur? Hospitium igitur nostra civitas aperiat : « id etiam reipublicæ est ornamento homines exter-

(1) De Republica II, 3.

nos hoc liberalitatis genere non egere (1). » — Atenim patriam ante omnia spectare debemus. — Scilicet « qui civium rationem ducunt » habendam, externorum negant, ii dirimunt communem humani » generis societatem, qua sublata beneficentia, liberalitas, bonitas, » justitia funditus tollitur. Quæ qui tollunt, etiam adversus deos immortales impii judicandi sunt (2). » Hoc unum providendum est ne quod inde discrimen civibus oboriatur; itaque suffragio peregrinos arcebimus et legi condendæ interesse vetabimus; unde hæc : « O jura » præclara atque divinitus instituta ne quis nostrum plus quam unius » civitatis esse possit (3) ! » Præceptum autem in tertio de Officiis libro legimus : « Male etiam qui peregrinos urbibus uti prohibent » eosque exterminant, ut Pennus apud patres nostros, Papius nuper. » Nam esse pro cive, qui civis non sit, rectum est non licere : quam » legem tuleruntsapientissimi consules Crassus et Scævola; usu vero » urbis prohiberi peregrinos sane inhumanum est (4). » Quanti vero » intersit peregrinos amplecti et interdum alienum semen accipere quod vires exhaustas reficiat, Roma testis est : « Illud enim sine ulla » dubitatione maxime nostrum fundavit imperium et populi Romani » nomen auxit, quod princeps ille, creator hujus urbis, Romulus, » fœdere Sabino docuit etiam hostibus recipiendis augeri hanc civitatem oportere (5). »

(1) De Officiis II, 18.
(2) De Officiis III, 6.
(3) Pro Balbo, 13.
(4) De Officiis III, 11.
(5) Pro Balbo, 13.

III.

VERA ET VIVA EFFIGIES OPTIMÆ CIVITATIS ADUMBRATUR.

§ I.

Cur Cicero libros de Republica fecerit, jam antea diximus. Scipionem et cæteros in scenam producit, ætatis præteritæ lumina, florentes eo tempore quo nondum Græcia capta ferum victorem omnino ceperat, qui, postquam vix breve procemium speculationi philosephorum dedere, Romæ laudem inchoant et opere toto persequuntur : sic enim quoque de perfectissima reipublicæ forma se disserere noster existimat. Hæc igitur Scipio : « Sic decerno, sic sentio, sic affirmo nullam » omnium rerumpublicarum aut constitutione, aut descriptione, aut » disciplina conferendam esse cum ea quam patres nostri nobis ac- » ceptam jam inde a majoribus reliquerunt. Quam, si placet, simul » et qualis sit, et optimam esse ostendam ; expositaque ad exemplum » nostra republica accommodabo ad eam, si potuero, omnem illam » orationem quæ est mihi habenda de optimo civitatis statu (1). » Hoc enim Tullii (aut Scipionis, ut Lælius ait), in ordinanda civitate proprium et peculiare dici potest. « Reliqui disseruerunt sine ullo certo » exemplari formaque reipublicæ, de generibus et de rationibus civi- » tatum. Tu mihi videris utrumque facturus, es enim ita ingressus » ut quæ ipse reperias, tribuere aliis malis quam ut facit apud Plato-

(1) V. De Republica 1, 2.

» nem Socrates, ipse fingere.... et disputes non vaganti ratione, sed » defixa in una republica (1). »

Quomodo autem fiat ut speciem quamdam Roma præbeat optimæ reipublicæ, jam antèa Cato major intellexerat. Scilicet non uno temporis puncto Romana constitutio facta est; non, velut ex Jove Minerva, ex mente unius viri repente in lucem edita est : paulatim informabatur. Quonam enim pacto vir unus omnia comprehendere animo, oculis perspicere possit? Nonne hoc apud nos recentius bellicosissimus Imperator : Non nisi tempore fiunt civitates (2)? Scilicet, ut intelligamus quomodo præcepta scientiæ civilis rei Romanæ accommodentur, sensim crescentem et lente ab incunabulis in majus provectam civitatem intueamur necesse est (3). Historia in locum philosophiæ succedit : nec mirum, cum ex philosophia et historia scientiam civilem constare certissimum est.

Hoc primum animadvertendum est ut, quemadmodum Italia commune perfugium priscis gentibus mortalium aperuerat, sic ferme omnes Italicas gentes a principio Roma amplexa sit. Maximi reges ab Etruria; maximi cives e Latio; multi inter nobiles e Sabinis exstiterant, vel potius tres urbes, ut nuper dictum est, in societatem coierant, Roma, Quirium, Lucerum. Inde civitas, nec solum sacris et religione, nec solum armis, neque solum moribus et agricultura cæteris urbibus præstiterat, sed ita diversissimis studiis eminebat ut et ad victorias regnumque parata simul et fulta cœlestibus auxiliis et in æternum virtutibus stabilita jure videretur. Inde hæc noster, quæ de fœdere Sabino huic opusculo modo inseruimus.

Ut originem, ita situm perspicere operæ pretium est. Ita in littore sita erat Roma ut mare et nosset et tentaret, neque tamen a Tuscis aut Græcis aut Volscis piratis repente prædæ instar haberetur, ut et Spartæ et Athenarum, et terrestrium et maritimarum urbium absimilis dici posset. Scilicet, dum juxta montes et campos et littus Romani positi erant, neque pastorum neque nautarum nec agricolarum omnino partes egere. Divinitus enim Romulus maritimarum urbium et utilitates complexus erat et vitia vitaverat : qui « urbem perennis

(1) De Republica, I, 46.
(2) De Republica II, 11.
(3) Gallice : *Une Constitution est l'œuvre du temps.*

» amnis et æquabilis et in mare late influentis posuit in ripa, quo » posset urbs et accipere ex mari quo egeret, et reddere quod redun- » daret.... : ut mihi jam tum divinasse ille videatur hanc urbem » sedem aliquando et domum summo esse imperio præbituram ; nam » hanc rerum tantam potentiam non ferme facilius alia in parte Italiæ » posita urbs tenere potuisset (1). » Sic igitur diutius moribus antiquis stabit res romana, et cursum impositum a Deo certius peraget, dum furor enavigandi tollitur : hoc nostræ philosophiæ consentaneum. Quanquam recentissimus quidam scriptor (2), quia Romanos inter et Carthaginienses propter oram Italiæ et Libyæ navigandi leges pactæ sunt, Romam ineuntem commercio penitus deditam fuisse et commercio crevisse existimat : quod profecto Tullius admodum admiretur.

« Urbis autem ipsius nativa præsidia quis est tam negligens qui non » habeat animo notata planeque cognita (3) ? » De septem collibus, quos prædicat noster, multi verba fecere : nam loci quoque diversas gentes huc in unum convenisse demonstrant, cum hic Aventinum montem, dictum ab Aventino Albanorum rege, Albanorum; Janiculum Saturniumque montem propter nomina deorum latina, Latinorum; Quirinalem, Sabinorum; Palatinum vero propter nomen Palantii Pelasgorum Arcadum fuisse dicatur. Tullius autem et fossas et arcem et munimenta locorum laudat, quànquam urbem Romuleam in Palatino et Saturnio monte primum conditam Quiritium ex Quirinali monte armis objectam fuisse credibile est : sed humillima respicere nequit Romanus, et septem colles, dum a principio Romanos fuisse existimat, a principio terrarum urbem dominam tutissimo aggere defendisse existimat.

Hic igitur Romam condidit Romulus; nam Tullius Romulum fuisse credit. Quanquam autem neminem inter Romanos de Romana historia quidquam intellexisse recentius compertum est, et apud nos puellulis oblectamenti instar historia Romuli relinqui solet, Tullium sequi audebimus. Ficta quidem noster omnia quæ de silvestri bellua et Acca Laurentia dicta sunt, dum fatetur, quam præclaro, quam Romano sermone de patre Marte loquitur ! « Concedamus, ait, famæ

(1) De Republica II, 26.
(2) Mommsen.
(3) De Republica II, 6.

» hominum, præsertim non inveteratæ solum, sed etiam sapienter » a majoribus proditæ, bene meriti de rebus communibus, ut genere » etiam putarentur, non solum esse ingenio divino » : « sed ut jam a » fabulis ad facta veniamus, » fuit Romulus, Romulus Romam condidit. Multa super heroibus excogitare solet ingenium hominum, heroes ipsos nunquam : nam vera fictis ornantur, sub fictis semper vera latent. Viros varie pictos et vestitos agit in scenam posteritas, non creat : de quo qui aliter sentiat fuisse aut Homerum aut Christum facile neget; unde fit ut historia vanarum imaginum instar oculis obversetur. Romulum autem, dum Romæ conditorem fuisse ait, cavet Cicero ne fabulis et fictis nominibus exornet; ne latronum quidem ducem eum nominat, quod nostris temporibus ita certum cuidam scriptori (1) visum est ut ideo Romanos stetisse et crevisse crediderit, quia ab avis latronibus orti erant. Pauciora noster, qui tantum, ubi ad facta ventum est, narrat Romulum oppressisse Longam Albam, seu montis Aventini urbem, sive majus oppidum designat. Inde « novum quod- » dam et subagreste consilium » quo Sabinæ rapi jussæ sunt, ostendit in fœdus desinere, quo Sabinos in civitatem Romulus adscivit, sacris communicatis, et regnum suum cum illorum rege sociavit : quo nihil aptius, ut supra diximus, « ad muniendas opes regni ac populi (2) » inveniri poterat. Etenim sive Romani Sabinos, sive Romanos Sabini in ditionem suam redegere, hinc Sabinus rex, hinc nomen Quiritium, hinc jus Quiritium, « optimum jus, » hinc multa alia exstiterunt; hinc vires populi amplificatæ, hinc regni spes altior.

Rex autem « populum et suo et Tatii nomine, et Lucumonis qui » Romuli socius in Sabino prælio occiderat, in tribus tres curiasque » triginta descripserat (3); » hic igitur fortasse tres duces, ut ***Niebuhr*** ait, Romus in Palatino, Tatius in Quirinali, in Cœlio Cœles Vibenna, tres ***populi*** in unum coeuntes, et inde tres tribus, tres, ut Græce loquar, φυλαὶ γενικαί. Ut enim γεννῆται in Attica erant, quatuorque tribus divisæ in tres φρατρίας quæ in triginta γένη dividebantur, sic gentiles erant Romæ, tres tribus, triginta curiæ, trecenæ gentes. Scilicet operæ pretium est hanc optimatium vim ac potestatem ab Urbis originibus repetere, cum hic et gentilitatis et comitiorum curiatorum

(1) Hegel.

(2) De Republica II, 7.

(3) De Republica II, 8.

initia reperiantur. *Gentibus* enim res Romana tum primum contineri videtur ; nam ut postea mixtam ac bene temperatam civitatem habeamus, hic a rerum principio *gens* optime constituatur necesse est : hic igitur membra civitatis agnoscenda sunt. Ut enim maximæ cujusdam *gentis* habet speciem civitas, ita singulæ gentes parvæ cujusdam civitatis effigiem adumbrant. Sacra sunt gentilitia, ut Nautiorum in Minervam, ut sacrificia piacularia gentis Horatiæ : gentiles intestatorum hereditatem adeunt ; gentiles extraordinaria quædam onera ferunt, ut mulctam Camilli tulere. Gentilitas autem curias parit ; quando enim « ex *generibus* hominum suffragium fertur, comitia curiatia (1) » sunt, nec alia comitia his temporibus videre est ; curiæ sunt patriciorum, hoc est, populi comitia. Plebeia enim vi ac potestate caret adhuc civitas et jure caret, quandoquidem, ineunte plebe capessere rempublicam, nullo pacto fieri potest ut mixta tribus formis fiat civitas et inde quidquam stabile fundetur. Itaque non solum hisce rei Romanæ temporibus, verum etiam cum plebs nata erit, nihil aliud primo per populum quam *gentium* congregatio significabitur.

Insuper autem Romulus « in regium consilium delegerat principes » qui appellati sunt propter caritatem patres.... Vidit judicavitque » idem quod Spartæ Lycurgus paullo ante viderat, singulari imperio » et potestate regia tum melius gubernari et regi civitatem, si esset » optimi cujusque ad illam vim dominationis adjuncta auctoritas. » Itaque hoc consilio et quasi senatu fultus et munitus, bella cum » finitimis felicissime multa gessit (2). » En regum ille consessus ! en rei Romanæ magister senatus, lumen terrarum, mundi caput antiqui ! Jam unius imperium procerûm consilio flectitur, quod et libertatis et dominationis futuræ pignus est ! Senatus autem qui sit ex vetere illo reipublicæ statu facile divinatur. *Gentes* et per se comitiis curiatis, et per legatos, id est, per patres rem romanam capessunt. Senatores ergo sunt gentium principes, et singulæ gentes in concilio decurionem habent ; legatorum autem consessus ad imaginem maximi consessus ita factus est ut tanquam populus in curias, sic in decurias senatus divideretur. Hic igitur, cum plebs nulla sit, patrumfamilias auctoritate respublica regitur. Infra autem sunt clientes qui neque gentium sunt, neque plebem faciunt : sed patrum sive patronorum

(1) Aulí Gellii Noct. Att. XV, 27.
(2) De Republica II. 9.

ita quamdam tutelam accipiunt ut mutuis et patres et clientes officiis inter se copulentur.

« Tum, id quod retinemus magna cum salute reipublicæ, auspiciis » plurimum obsecutus est Romulus (1). » Hic agnovi Etruriam, sacerdotum et sacrorum patriam : cui autem adjumento rei Romanæ Tusci mores fuerint, testis est diuturna vita civitatum quæ religionis ope et auxilio fultæ sunt. Hoc enim reipublicæ vinculum, hoc fundamentum est morum, quibus Roma stetit : hoc jam tum Romano bellandi et prædandi furori temperamentum adhibebatur : nemo denique est qui ex Etruriæ fontibus sacrosanctum simul et perenne quiddam in Romanum populum defluxisse non fateatur. Ipse D. Augustinus vel falsis religionibus populos civili societati velut arctius alligari existimat (2); et nisi cum istis religionibus bella gerat, sine dubio, dum exquirit « quibus modis antiqui Romani meruerint ut » Deus verus, quamvis non eum colerent, eorum augeret im» perium (3), » et sacra et pietatem in Deos proponat. Tuscos autem mores Urbis originibus præfuisse nihil non probat; hic videre est Etruriæ ritu sulcum descriptum, hic fossam, quem mundum vocant, hic Egeriam quam recenter Etruria venisse compertum est, quod nepos Tarquinii Superbi Egerius nominabatur, hic auspicia, hic denique regnum Numæ; ita ut Romanos quidam scriptor agrestes a sacerdotibus educatos haud immerito vocaverit. Romulum igitur, postquam auspicia et senatum peperit, noster jure Deorum in numero collocatum putat, nam iste populum pæne puberem reliquit, jam in æternum conditum, mox in immensum crescentem.

Romulo autem mortuo, rex electus est Numa, Sabinus, et ideo moribus Etruriæ imbutus, quandoquidem arctissimis vinculis Etruriam et Sabiniam inter se conjunctas esse, et Tatii altaria Diis Etruriæ consecrata, et Attus Navius augur, et Salii primum Veiis instituti, et multa alia demonstrant. Numæ igitur religionum cærimonias amplificatas et inde mores mitigatos atque ad diuturnitatem republicæ res confirmatas gratulatur Tullius (4), sed imprimis grates agit, quia Romanos docuit « sine depopulatione atque præda posse eos, colen-

(1) De Republica, II, 9.
(2) De Civitate Dei, l. IV, c. XXXII.
(3) De Civitate Dei, l. V. c. XII.
(4) V. De Republica II, 14,

» dis agris, abundare commodis omnibus; amoremque eis otii et » pacis injecit,.... quorum patrocinio maxime cultus agrorum per- » ceptioque frugum defenditur ». Hæc enim apud veteres laus Romanorum propria est quod aratro incumbant atque solum Italiæ perpetuo labore exerceant. Quid enim? nonne hi sunt agrestes populi qui diutissime vivant? Nonne licet letales morbos civitatum ab his temporibus repetere quibus agri deseruntur? — Atenim sic multo sudore pauciora parantur. — Scilicet ad laborem et modestiam informamini. Commercio labefactari sæpe rempublicam ostendimus, quo divitiarum effrenatus amor in civitatem gliscere solet; immo voraci usura ruere : respicere liceat agriculturam, quoniam « omnium re- » rum ex quibus aliquid adquiritur, nihil est agricultura melius (1), » quoniam rure cives ad rempublicam, milites ad bellum accinguntur. Scilicet cum agrorum colendorum amor e Latio in Siciliam transiit, « jam vero Siculorum ea patientia, virtus frugalitasque est, ut pro- » xime ad nostram disciplinam illam veterem, non ad hanc quæ » nunc increbruit, videantur accedere. Nihil cæterorum simile Græ- » corum : nulla desidia, nulla luxuria; contra summus labor in » publicis privatisque rebus, summa parcimonia, summa diligen- » tia (2). » Istis autem temporibus Romanum agrum servi colere dudum inceperant, et platanus ulmos evincere, et latifundia Italiam perdere, sed quot et quantis bonorum querelis! quanto Catonis et Ciceronis desiderio! Ciceronem audite fulminantem : « Etenim qui » præesse agris flagitium putes, profecto illum Atilium, quem sua » manu spargentem semen, qui missi erant convenerunt, hominem » turpissimum atque inhonestissimum judicares. At hercule majores » nostri longe aliter et de illo et de cæteris talibus viris existimabant. » Itaque ex maxima tenuissimaque republica maximam et florentis- » simam nobis reliquerunt. Suos enim agros studiose colebant; non » alienos cupide appetebant : quibus rebus et agris, et urbibus, et » nationibus, rempublicam atque hoc imperium, et populi Romani » nomen auxerunt (3). »

Tullum autem Hostilium ab Etruria venisse ostendunt constituta jura bellorum ac fecialis religio, vel magnæ moles ædium, qui mos

(1) De Officiis, I, 42.

(2) De jurisdictione Siciliensi, 3.

(3) Pro Sexto Roscio, 18.

Etruriæ esse dicitur, vel præsertim Tullianum robur a Tullo, ut ait Varro, in Mamertino carcere Tuscarum ædium consimili ædificatum, vel multa antiquitus recantata de quodam Hostilio, avo Tulli, qui ab Etruria Romulo in Tatium opem tulit : hinc igitur nova Tuscorum instituta Romæ illuxisse certum est, cum sacrum jus bellorum inventum, et magna monumenta, et Sabinos a gente bellicosa simul et sacris operis dedita domitos reperiamus. Urbi nuper conditæ singulis diebus adjectum quidquam operis videre est : urbs æterna crescit in dies (1).

Ut autem Numa Pompilius agricultura, sic Ancus commercio, angusto tamen et moderato, Romanos mores mansuescere docuit. Janiculum enim muniit, quo Tiberis tegitur, ad ostium Tiberis urbem condidit, et salinas in littore constituit : urbem enim condendo et utilitates complexus erat maritimas Romulus et vitia vitaverat (2).

Hoc loco, cum Demarati Corinthii filium, Tarquinium Priscum ab Etruria venisse omnibus compertum est, *Niebuhr* ait ***Priscum*** et Latinum et Lucerum ducem fuisse; quod quidem ego et Cicero ægre feremus. Hic enim regum Etruscorum nova series incipit, quæ Urbem amplificet, vasto muniat aggere, circo maximo et cloaca maxima exornet, et magnam ibi Tuscorum civitatem stetisse nos doceat. Hinc splendidi reges et regia purpura, et sella curulis, et sceptrum eburneum, et lictores fascesque, et currus, et magni triumphi, et « Capitoli im- » mobile saxum ». « Perspicuum est enim quanta in singulos reges » rerum bonarum et utilium fiat accessio (3). »

» Is autem, ut de suo imperio legem tulit, principio duplicavit il- » lum pristinum patrum numerum ; et antiquos patres majorum gen- » tium appellavit; quos priores sententiam rogabat; a se adscitos, » minorum (4). » Scilicet ut conversionem optimatium dominationis in paucorum sævam tyrannidem plerumque fieri vidimus, sic, Tarquinio regnante, multi deerant patres, ***gentibus*** exstinctis, qui sententias in senatu ferrent, unde fit ut magis ac magis in dies paucorum consilio respublica gubernaretur : ***gentes*** igitur Tarquinius ita refecit ut semper triginta curiæ essent, patres treceni. Hoc autem ad confir-

(1) V. De Republica II, 17.
(2) De Republica II, 5.
(3) De Republica II, 20.
(4) De Republica II, 20.

mandam ἀριστοκρατίαν præcipuum : equitatum constituit. Equitatem S. Tullius amplificavit ; neque genus respexit, sed, ut in reliqua rerum commutatione, divitias. Ergo quidquid in plebe amplissimum inveniri poterat, S. Tullius patriciis admiscuerat! Vim novam ac potestatem patricios inter et plebem stare et crescere posse intellexerat! Medium quoddam iter aperiri posse senserat, curiæ vestibulum : seminarium senatus hic profecto prospexerat, fructus uberrimos et amplissimos prospexerat, qui hinc in omnem rempublicam redundarent. Scilicet equites dicti sunt, qui equo stipendium merebant, censum equestrem habebant, et comitiis centuriatis, ut infra videbimus, in equitum centuriis suffragium ferebant. Equites igitur ex censu : neque tamen omnes, quibus census equester erat, equum publicum habuere; censores equum spectatissimis adolescentibus, et senatorum filiis, neque singulis, sed plerisque dare solebant. Grande quiddem Urbis subsidium et mire ad temperandas reipublicæ formas inventum ! Hoc senserat noster, hoc prædicaverat; immo, in pejus inclinante republica, libertatem, si servari potuissset, ab equestri ordine servandam judicaverat. Nihil aliud consul : « Quid ego hic » equites Romanos commemorem? qui vobis, Patres Conscripti, ita » summam ordinis consiliique concedunt ut vobiscum de amore rei» publicæ certent : quos ex multorum annorum dissensione ad hujus » ordinis societatem concordiamque revocatos, hodiernus dies vo» biscum atque hæc causa conjungit : quam conjunctionem, si in » consulatu confirmatam meo, perpetuam in republica tenuerimus, » confirmo vobis nullum posthac malum civile ac domesticum ad ul» lam reipublicæ partem esse venturum (1). » Hæc enim de Marco Tullio Plinius : « Stabilivit equestre nomen in consulatu suo, ei sena» tum concilians, ex eo ordine se profectum celebrans, atque ejus » vices peculiari popularitate quærens. Ab illo tempore plane hoc » tertium corpus in republica factum est, cœpitque adjici senatui po» puloque Romano equester ordo (2). »

Quid igitur hanc senatus et equitum societatem toto animo sit amplexus noster operæ pretium est intelligere, cum hoc in schola Tullianæ philosophiæ consentaneum, in foro consulis opus amplissimum et constantissimum esse videatur. Sex autem causas reperire est.

(1) In Catilinam IV, 8.
(2) Hist. nat. XXXIII, 2.

Sic Tullius et nobiles et divites conjungebat, sic patres, genere aut dignitatibus amplissimos, et fortunis amplissimos equites. Nihil est enim pejus in civitate quam si vis duplex et præpotens in diversissimas partes distrahatur.

Sic optimates exercitu muniebat acerrimo, juvenibus referto, opulento, pacis et otii, propter opes, studiosissimo.

Sic instantem publicis cervicibus unius impotentem dominationem amovebat, veretemque reipublicæ statum ab iis diligi sinebat qui pristinam hanc formam periculosamque libertatem ob seditiones ac turbas ægre tulissent.

Sic publicanos quorum in manibus reipublicæ vectigalia versabantur senatui dicto audientes videas, unde fit ut senatui dicto audientes videas quoque multos alios cives qui, propter æs alienum, propter egestatem, propter clientelam partes equitum sequebantur.

Sic Tullius, si forte nimia potestate elati essent patres, unde populares pestes deinde gliscere solent, medio quodam ordine rempublicam librabat, quandoquidem ex temporibus Bruti, pace Tullii dixerim, vis ac potestas regia magis ac magis in dies evanuerat.

Denique novum *corpus* ex colluvie ista Romanæ plebis exoriebatur, dignum quod ad gubernacula reipublicæ quoque accederet.

Harum omnium rerum semen in Servi Tullii consiliis de ordinando equitatu inclusum deprehendimus : hic autem nihil invenimus nisi partem magnæ cujusdam commutationis qua novam reipublicæ formam Servius Tullius instituerat.

Hic enim videtur ex omnibus in republica vidisse plurimum, utpote qui ex humillima stirpe oriundus regnum tamen obtinuerit, sive, ut ferunt, ex serva tarquiniensi natus, a Tarquinio educatus est, sive, ut quidam contendunt, Cœlii comes fuit et « postquam varia » fortuna exactus, cum omnibus reliquiis Cœliani exercitus, Etruria » excessit, montem Cœlium occupavit, mutato nomine (nam Tusce » Masterna ei nomen erat (1). » Hic igitur in locum reipublicæ quam patricii sacerdotesque sui juris fecerant, demum juris societatem instituit, mire coactam atque connexam, Etruriæque sacerdotium quod toti reipublicæ incubuerat, civitatis administrationem cum plebe communicando, compressit. Itaque Servius, Tarquinio defuncto, primum injussu populi regnare cœpit, Tarquinio sepulto, « non com-

(1) Oratio Claudii principis ut Galli jus senatorum in urbe adipiscantur.

» misit se patribus, sed populum de se ipse consuluit, jussusque » regnare legem de imperio suo curiatam tulit (1). » Hoc animo equites constituerat, hoc animo censum Urbi intulit, et omnem vim suffragiorum a curiis ad centurias transtulit.

Scilicet comitiis centuriatis respublica stetit et viguit, neque enim alia consilii via inveniri poterat qua cives universi reipublicæ participes fierent simul, et, quod semper in republica tenendum est, tanquam antea diximus, plurimi non plurimum valerent. In quinque classes populus distribuebatur, ex fortunis. « Ita suffragia non in » multitudinis, sed in locupletium potestatate erant. » Seniores a junioribus divisit, ita ut in prima classe quadraginta centurias duo millia seniorum, quadraginta quatuor millia juniorum tenerent, ne juvenili impetu respublica in præceps rueret. Quod autem ad militiam pertinet, juniores foris dimicabant, seniores urbem custodiebant: sed ita militia ordinabatur ut ubi emolumentum erat in republica, ibi quoque onus esset; qui enim aut non plus mille quingentum æris aut omnino nihil in suum censum præter caput attulissent militia immunes erant, dum plurimi ex prima classe proficiscerentur, ita ut hi tractarent arma, hi belligerarent quorum plurimum interesset esse in optimo statu civitatem. Item de tributis : nam prædicat noster nova locupletibus ac pauperibus data nomina, cum hic publici oneris ac muneris mentio fiat, quod ante omnia spectandum est : eosdem enim quos militia exemerat, tributis exemerat, vocaveratque proletarios, « ut ex iis quasi proles, id est, quasi progenies civitatis exspectari » videretur, » locupletes autem assiduos ab ære dando appellaverat. Nihil enim justius, sapientius nihil : ut suffragio plurimum valeas, plurimum pecunia valeas quoque : bene habet : hoc mirum ad otium et ad dignitatem republicæ, sed ut suffragio plurimum valeas, des plurimum et auri et sanguinis. Nihil habebunt cæteri, de quo querantur (2).

Inde fit ut si nune interroges qui sit populus, non *gentes*, non curias dicam, sed populum in comitiis centuriatis esse respondeam.

Tribus autem huic descriptioni centuriarum accedunt, quod novum est amplificandæ plebis et extollendæ consilium, cum denique non ex genere, non ex divitiis, sed viritim civium divisio fiat : hinc enim

(1) De Republica II, 21.
(2) V. De Republica II, 22.

suffragiorum viritim quoque dividendorum sæpissime mos exoritur; quod Romæ factum est. Sin autem plebiscita, dum loco legum erunt, magno detrimento reipublicæ dein Urbem invadent, nunc summa reipublicæ utilitate populus in tribus describitur, nam tribuni et ædiles, ut videtur, tribubus præesse cœperunt, qui multa de censu et militia et tributis et forensibus rebus ordinarent. Quod si leges de nexis, de centumviris, plebeiis judicibus, de manumissionibus addideris, et rempublicam jam tribus formis mire libratam et temperatam esse perspexeris, hanc Tullii vocem facile intellexeris : « Tanta igitur in il- » lis virtus fuit, ut anno sextodecimo post reges exactos, propter ni- » miam dominationem potentium secederent et *leges sacratas* ipsi sibi » restituerent (1). » Imo intellexeris Canuleium, seditiosissimum tribunorum, cum ad consulatum vulgi turbator accingitur, Servi Tullii memoriam et instituta respexisse; nam Servi Tullii nomine fretus et insignis populus, id quod erat populi, repetebat.

Hoc autem sæpissime accidit ut eæ leges quarum ope et auxilio populi vitam æternam vivere solent, non repente moribus Urbis hæreant, sed primum vi quadam opposita evertantur, cum nec temporis nec hominis unius sit constitutio reipublicæ. Non solum igitur pœnas Servius dedit et sanguine jura plebi data luit, sed leges sacratæ *gentium* ira deleta sunt, duce Tarquinia gente : periculosam quidem iram et ipsis gentibus funestam! Quæ dum in plebem impetum faciunt, se genti Tarquiniæ addictas non sensere. Deletæ sunt leges, verum ita deletæ sunt ut rex fieret continuo tyrannus « quo neque tetrius neque » fœdius nec dis hominibusque invisius animal ullum cogitari po- » test (2). » Tunc, ut ex solito mutationum cursu accidit, in regiam vim ac potestatem, exsultantem insolentia, victoriis divitiisque subnixam impetus quoque factus est. Sic vincitur nox et fugiunt nubes : multæ Servii leges in lucem redeunt. Neque enim tantum a gentibus et pro gentibus, ut sæpius dictum est, gens Tarquinia pellitur : nam quod a curiis statutum est centuriæ confirmant; Brutum et Collatinum centuriæ consules accipiunt, et consulibus imperium a curiis delatum est. Quomodo enim Tarquinius ejectus esset, nisi populo in unum conspirante? « Non obstabunt P. Valerii ædes libertati vestræ, Quirites; » tuta erit vobis Velia. » Scilicet, hæc dum loqueretur, submissis fas-

(1) Pro C. Cornelio Oratio I, f. 23.
(2) De Republica, II, 26.

cibus in concionem Valerius Publicola processerat! « Idemque, ait » noster, in quo fuit Publicola maxime, legem ad populum tulit eam, » quæ centuriatis comitiis prima lata est, ne quis magistratus civem » Romanum adversus provocationem necaret, neve verberaret... Ita- » que Publicola lege illa de provocatione lata statim secures de fascibus » demi jussit; postridieque sibi collegam Spurium Lucretium subro- » gavit; suosque ad eum, quod erat major natu, lictores transire » jussit; instituitque primus, ut singulis consulibus alternis mensibus » lictores præirent, ne plura insignia essent imperii in libero populo » quam in regno fuissent (1). »

Quid igitur iræ populares et secessiones in Sacrum montem Aventinumque significant? Quomodo fit ut plebs, cum rempublicam læta libensque mutat, vehementissime res novas impugnet? Scilicet, quanquam consensit omnis populus ut regnum everteret, ita regnum eversum est ut « pauca per populum, pleraque senatus auctoritate » et instituto ac more gererentur (2), » atque nova civitas pæne esset optimatium. Neque enim dux esse poterat qui plebem reipublicæ participem facere tentaret, ut Servius, aut de celsis capitibus amputandis cogitaret, more Tarquinii. Nam quamvis consules uti potestate genere ipso ac jure regia Tullius crediderit, quamvis « omnia jura regum » primos consules habuisse (3) » Titus Livius cecinerit, immo quamvis dictator factus sit, quod genus imperii « proximum similitudini regiæ » noster declarat, hoc nobis ratum et compertum est ut, regibus expulsis, regia vis ac potestas fere sublata sit, et una pro nihilo sit, in mixta civitate nostra, ex tribus formis reipublicæ. Quid enim refert insignia regum ad consules deferri? Ecquis nescit vim regiæ potestatis abesse, cum regia potestas tam arcte cum optimatium potestate vincta sit ut nullum proprium ad finem spectet, nullo cursu proprio moveatur? Ecquid isti truncati reges, patrum legati famulive quidquam præter patrum auctoritatem in majus provehendam cogitant? Sedet in curia regum concilium. Utrum hoc Romæ profuerit an obfuerit, incertum: videas qui discordiis hinc laboravisse Romam ineuntem, videas qui hinc in foro validam, liberam, superbam Romanam plebem esse factam existiment. Is autem, me judice, vehe-

(1) De Republica, II, 31.
(2) De Republica II, 32.
(3) II, 1.

menter erret qui ductam a consulibus Romam ut perfectissimum mixtæ tribus formis reipublicæ exemplar ostendat : quod profecto Servii, minime autem Bruti et Lælii temporibus invenias. Tullius quidem nullam esse mixtam ac temperatam civitatem, imperio ad regem delato, canit : nec mirum, cum Romani « pulso Tarquinio, » nomen regis audire non possent » (1) : sed nunquam hoc Romano consuli concedam ut ideo « fortuna populi posita sit in unius volun- » tate vel moribus (2), » quia vis ac potestas regia retinetur.

Hæc igitur prima secessionis causa fuit ut optimatium ministri loco regum esse cœpissent. — Atenim centuriata comitia restituebantur. — Sed « vehementer id retinebatur, populi comitia ne essent rata, nisi » ea patrum approbavisset auctoritas (3), » hoc est, quidquid comitiis centuriatis decretum erat, nullum erat nisi a patribus aut curiis confirmatum. Iidem erant sacerdotes auguresque judicesque; faciebant magistratus et semetipsos faciebant. Concordes quidem annis XVI omnes mansere, dum Urbi Tarquinius immineret : inde agri regii distributio, et provocatio restituta, et submissi fasces coram populo : Servii vero leges de nexis nemo restituerat, ita ut eadem esset historia populi Romani, eadem centurionis illiis qui, postquam XXVIII prœliis interfuerat, ab hostibus et messem et domum incensam et gregem captum viderat : in foro repente adstitit, pallidus, squalens, macer; scilicet esuriens in æs alienum inciderat; usura totus edebatur; et significans se a creditore abductum, vinctum, laceratum, corpus cruentum ostendebat. Hæc igitur noster : « Cum esset ære alieno com- » mota civitas, plebs montem Sacrum prius, deinde Aventinum oc- » cupavit (4). »

Tullius, ut vidimus, tabulas novas exsecratur, « quæ labefactant » fundamenta republicæ; » neque is est qui vel in justa secessione pecunias debitoribus esse condonatas adprobet : dolet autem hoc a patribus consilium prætermitti ut omnia nexa civium liberentur *nectierque* postea desitum sit : quæ via consilii nec Solonem Atheniensem nec Servium Tullium non longis temporibus ante fugerat : creberrima igitur ex sævissimis legibus in debitores reipublicæ Romanæ

(1) De Republica II, 30.

(2) De Republica II, 28.

(3) De Republica II, 37

(4) De Republica II, 33.

pericula oborta sunt. Sed tunc aliunde auxilium quæsitum est.

Si quis rem Romanam, expulsis regibus, perspexerit, hoc sane intellexerit ut, sublata vi regia, civitas, nisi plebeia vis emineat, ab optimatibus prædæ instar habenda sit : quod omnino ab effigie pulcherrimæ urbis nostræ recedat. Hac tum labe, hoc veneno primum civitatis illita libertas est : unde tantum concitum turbarum. Compressa igitur plebeia vis emineat! dolor in vindicanda libertate ferox emineat! Tribuni fiunt ; sacrosancta potestas in lucem edita est! Sic libertas æquatur, sic ad consulatum plebs incipit adspirare, sic incipit institui fortis ac magnanima civitas, sui conscia, quæ vim et virtutem, in lento Patrum ac plebis certamine informatam olim, secum denique concors, in terrarum orbem universum victura convertat. Patricii sunt magistratus ; plebeii fiant necesse est. « Tu sapientiam majorum » in isto vide, noster ait. Concessa plebi a patribus ista potestate arma » ceciderunt ; restincta seditio est ; inventum est temperamentum, » quo tenuiores cum principibus æquari se putarent : in quo uno fuit » civitatis salus... Quamobrem aut exigendi reges non fuerunt : aut » plebi re, non verbo danda libertas : quæ tamen sic data est ut multis » præclarissimis adduceretur, ut auctoritati principum cederet (1). » Cum autem in administratione reipublicæ patricios inter ac plebem nullum discrimen erit, quid de tribunatu Tullius senserit postea videbimus.

§ II.

Hoc enim superest ut constitutionem reipublicæ ab Urbis incunabulis secuti, jus civile tum denique in lucem editum, hoc est, XII Tabulas in lucem editas quoque videamus.

Qua autem mente, quibus oculis noster jus civile Romanorum intueatur, nemini dubium reor. Equidem scio multa in jurisconsultos a Cicerone lepidissime dicta : nemo est qui non meminerit quanta sævitia Sulpicium infelicem cum suo Murena conferat : « Te gallorum, » illum buccinarum cantus exsuscitat. Tu actionem instituis ; » ille aciem instruit. Tu caves ne tui consultores, ille, ne urbes aut » castra capiantur. Ille tenet et scit, ut hostium copiæ ; tu ut aquæ » pluviæ arceantur ; ille exercitatus est in propagandis finibus ; tu in

(1) De Legibus III, 10.

» regendis (1). » Siccine cedant arma togæ ? Mœstus quidem audio et nescio quo confugiam : hæc insuper : « Et quoniam mihi videris istam » scientiam juris tanquam filiolam osculari tuam, non patiar te in » tanto errore versari, ut istud nescio quid, quod tantopere didicisti, » præclarum aliquid esse arbitrere (2). » O scientiam miseram ! o Sulpicios infortunatos !

Miror igitur unde hæc veniant : « Qui jus civile contemnendum » putat, is vincula revellit, non modo judiciorum, sed etiam utilitatis » vitæque communis : qui autem interpretes juris vituperat, si impe- » ritos juris esse dicit, de hominibus, non de jure civili detrahit ; sin » peritis non putat esse obtemperandum, non homines lædit, sed » leges ac jura labefactat. Quod vobis venire in mentem profecto ne- » cesse est, nihil esse in civitate tam diligenter quam jus civile reti- » nendum (3). » Quid ? num ista Cicero ? Dii boni ! quam lepidum consulem habemus ! nisi forte pro Murena tot et tanta supra loqui respublica, ut sæpe fit, coegerit. Pergite, Pierides : « Quid enim est » jus civile ? quod neque inflecti gratia, neque perfringi potentia, » neque adulterari pecunia possit ; quod si non modo oppressum, sed » etiam desertum, aut negligentius adservatum erit, nihil est, quod » quisquam sese habere certum, aut a patre acceptum aut relictu- » rum liberis arbitretur (4). » Bene habet, neque quidquam aliud restat quam ut habitam pro Cluentio concionem recordemur « Errat » vehementer, si quis in orationibus nostris, quas in judiciis habui- » mus, auctoritates nostras consignatas se habere arbitratur. Omnes » enim illæ orationes causarum et temporum sunt, non hominum » ipsorum ac patronorum (5). »

Neque igitur mirum est si, mente dubia, Atticus, judicibus remotis, hæc ad Tullium : « Quœso, de jure civili quid sentias ? » Noster autem : « Egone ? summos fuisse in civitate nostra viros qui id inter- » pretari populo et responsitare soliti sint : sed eos, magna professos, » in parvis esse versatos (6). » Hic, ut videtur, opinionem Tullii de- prehendimus, quoniam homines quidem sæpius exiguo munere fungi

(1) Pro Murena, 9.
(2) Pro Murena, 10.
(3) Pro Cæcina, 25.
(4) Pro Cæcina, 26.
(5) Pro Cluentio, 50.
(6) De Legibus I, 4.

dolet et sæpius in stillicidiorum ac parietum jure commorari, scientiam autem necessariam et jus civile magnum esse intelligit. Quantis enim laudibus jus civile Romanorum extollat, neminem fugit. Si quis enim Tullium eo tempore deprehenderit quo forte de imitando Platone non cogitet, hæc audierit : « Fremant omnes licet, dicam » quod sentio : bibliothecas mehercule omnium philosophorum » unus mihi videtur XII Tabularum libellus, si quis legum fontes » et capita viderit, et auctoritatis pondere, et utilitatis ubertate supe» rare (1). »

Sic enim sanctus amor tantæ patriæ, sic Romana mens ostenditur, Scilicet magnam litem de XII Tabularum origine institutam, cum Titus Livius contendit tres legatos in Græciam profectos esse, qui Solonis præcepta Romanis moribus accommodarent, rident autem alii neque ullam mentionem hujus navigationis apud Græcos factam esse vident, plebemque falsa legatione deceptam esse putant, Tullius pro suis, Tullius pro Roma dijudicare non dubitat : « Quo amore tandem, » ait, inflammati esse debemus in ejusmodi patriam, quæ una in om» nibus terris domus est virtutis, imperii, dignitatis? cujus primum » nobis mens, mos, disciplina, nota esse debet; vel quia est patria » parens omnium nostrum, vel quia tanta sapientia fuisse in jure » constituendo putanda est, quanta fuit in his tantis opibus imperii » comparandis. Percipietis enim illam ex cognitione juris lætitiam et » voluptatem, quod, quantum præstiterint nostri majores prudentia » cæteris gentibus, tum facillime intelligetis, si cum illorum Lycurgo, » et Dracone, et Solone nostras leges conferre volueritis. Incredibile » est enim quam sit omne jus civile, præter hoc nostrum inconditum » ac pœne ridiculum (2). » Nihil ita vividum ac lucidum ; neque tamen is erat noster qui nihil ex Græcia genti togatæ illuxisse profiteretur. Falsum quidem, neque solum fictum, sed etiam imperite absurdeque fictum declarat hoc totum quo Numa Pythagoræ discipulus esse dicebatur. Quomodo enim centum fere annos ante natum Pythagoram de Pythagora, Cicerone auctore, conclamatum sit? sed quam luculente explicat, Tarquinii temporibus, quo loco primum videatur insitiva quadam disciplina doctior facta esse civitas ! « Influxit enim, ait, non » tenuis quidam e Græcia rivulus in hanc urbem, sed abundantis-

(1) De Oratore I, 44.
(2) De Oratore I, 44.

» simus amnis illarum disciplinarum et artium (1). » Jus autem civile *totum nostrum est*, nec nasci debuit in hac Græcia quæ primum canoris poetarum carminibus mansueverat, sed potissimum in tellure fecunda agricolarum, quæ, primos cantus, Servii regis Commentarios audiit : posteri autem Romano jure adhuc alimur, et sæpe claudum præceptum Romana norma corrigere adnitimur.

Quæ igitur sint istæ leges, cum noster Tabulas summa legum æquitate prudentiaque conscriptas profiteatur, operæ pretium est intelligere. Quas qui leget, ita conscriptas videbit, ut multa plebi largiantur, adgnationem et cognationem arctissime devinciant, ac jus uniuscujusque super fundo pecuniave sua firmissime constituant.

Multa plebi concessa sunt, quod in istis temporibus valde optandum erat. Hoc enim tabula nona : « Privilegia ne irroganto. De capite civis » nisi per maximum comitiatum, ne ferunto ». Quas leges præclaris- » simas Tullius vocat : « Et nondum natis seditiosis tribunis plebis, » ait, ne cogitatis quidem, admirandum tantum majores in posterum » providisse. In privos homines leges ferri noluerunt : id est enim » privilegium : quo quid est injustius? cum legis hæc vis sit, ut sit » scitum et jussum in omnes. Ferri de singulis, nisi centuriatis comi- » tiis, noluerunt. Descriptus enim populus censu, ordinibus, ætati- » bus, plus adhibet ad suffragium consilii quam fuse in tribus convo- » catus (2). » Clientem vero lex tuetur, cum hunc versum octava tabula patronorum oculis subjicit : « Patronus si clienti fraudem fecerit, sa- » cer esto. » Quid ? Servum tuetur, cum hoc petatur ab Appio ut « lege » ab ipso lata vindicias det secundum libertatem (3). » Quanquam enim decem patricii decemviri nominati sunt, scimus nec facile nec cito plebem impetravisse decemviros; scimus Appium prædicavisse « suum infelix erga plebem Romanam studium, quod æquandarum » legum causa cum maxima offensione patrum consulatu abisset (4), » ut fieret unus ex decemviris, eumdem popularium legum mentionem facere, cum loquitur se documento futurum utrum appellatio provocatioque adversus injuriam magistratuum ostentata tantum inanibus litteris, an vere data sit (5) » : videmus demum unum et idem, præ-

(1) De Republica II, 19.
(2) De Legibus, III, 19.
(3) Tit. Liv. III, 44.
(4) Tit. Liv. III, 56.
(5) Tit. Liv. III, 56.

ter legem de connubio, populo Romano universo jus esse constitutum.

Neque solum in patricia gente, sed in plebeia familia jus adgnationis et cognationis arctissime copulatum est. Hic est paterfamilias, et judex et sacerdos; habet servos in potestate, liberos in potestate, conjugem in manu, hoc est, in servos, in liberos, in uxorem vitæ ac necis potestatem habet. Hoc autem tabula quarta : « Si pater filium » ter venum duit, filius a patre liber esto. » Legem ferat consul, scandat Capitolium pontifex; nihilominus a patre ter mancipari vel occidi poterit. Atenim ideo Spartam concidisse ferunt quia Lycurgus feminis nimiam libertatem in bonis dandis ac legandis reliquit. Mulieres omnes, propter infirmitatem consilii majores in tutorum, neque horum qui potestate mulierum continerentur, potestate esse voluerant. Sic enim prohibebatur ne ab adgnatis ad nescio quam familiam bona temere transirent. Justinianus ait : « Furiosi quoque » et prodigi, licet majores XXV annis sint, tamen in curatione sunt » adgnatorum ex lege XII Tabularum (1). » Scilicet hi, depositi instar, fortunas adgnatorum accepisse ferebantur. Inde enim omnia successionum jura : « Si intestato moritur, cui suus heres nec sit, » adgnatus proximus familiam habeto. Si adgnatus nec escit, genti» lis familiam nancitor (2). »

Dominium autem ex jure Quiritium ferreis legibus constituebatur : quod quidem summa religione ac veneratione Romani semper amplexi sunt. Quot et quanta lex jusserit ut res mancipi, quæ plurimum agriculturæ proderant, adquiri possent, nemini dubium est. Videlicet ita de hoc sacrosancto jure senserant decemviri ut quidquid esset filii, quem patris esse voluerant, patris esse voluissent. Neminem autem præterit de furtis legem horrendi carminis fuisse, cum hoc Tabula Octava : « Si nox furtum factum sit, si im occisit, jure cæsus esto, » cum hoc apud Gaium : « Pœna manifesti furti ex lege XII Tabularum » capitalis erat. Nam liber verberatus addicebatur ei cui furtum » fecerat (3), » contra autem de membris ruptis pactionem facile fieri posse reperiamus (4). « Æris confessos » atrociter quoque Tabulæ

(1) Inst. 1, tit. XXIII, 3, Cf. Tab. V, 5.
(2) Tab. V, 2, 3.
(3) Comm. III, § 189.
(4) Tab. VIII, 1.

plectebant : « Tertiis nundinis partes secanto ; si plus minusve » secuerunt, se fraude esto (1). » Quin etiam hoc jus ita colebant, ita verebantur ut legitimo successionum ordini anteposuissent, quia, vel mortuo domino, id semper exstare et supervivere crediderant, unde hoc : « Uti legassit super pecunia tutelave suæ rei, ita jus esto (2). »

Hic igitur illius maximi juris Romani fontem ac principium invenimus; neque mirum est, si Tullius, qui morem majorum exemplar admirandum æqualibus proposuit, Decemvirorum legem in libris de Oratore tantis laudibus extulerit.

Neque tamen iis laudibus extollit ut omnia temere probet. Hæc igitur præclare canit, postquam in annum posterum legum latores decemviros alios subrogaverunt : « Ergo horum ex injustitia subito » exorta est maxima perturbatio, et totius commutatio reipublicæ : » qui duabus tabulis iniquarum legum additis, quibus, etiam quæ » disjunctis populis tribui solent, connubia, hæc illi ut ne plebi » cum patribus essent, inhumanissima lege sanxerunt,... libidino- » seque omni imperio, et acerbe, et avare populo præfuerunt (3). » Noster autem ostendit decemvirale istud imperium stare non potuisse, quia mole rueret sua necesse fuit, cum erat penes principes tota respublica, neque mixtum quidquam ac temperatum in civitate occurrebat. Virginio igitur Decemviros prostratos et in pristinum statum Urbem restitutam gratulatur. Nunc Roma pergat iter ; sensim et publicarum et privatarum legum fundamenta accepit : tempore confirmabitur et absolvetur ædificium.

§ III.

Relicta igitur historia, nihil satius est quam ut opus terminatum intueamur. Dum enim Tullius habet sermonem de Legibus, et perfectam effigiem optimæ civitatis exquirit, nihil aliud fieri posse arbitratur quam ut Romanæ aut simillimæ cujusdam reipublicæ constitutionem ante oculos proponat.

Hoc primum videndum est qui sit in Urbe legumlator. Ait noster de

(1) Tab. III, 5.
(2) Tab. V, 1.
(3) De Republica, II, 37.

senatu : « Ejus decreta rata sunto (1), » de plebe « Quod plebem ro-» gassint tribuni, ratum esto (2); » hæc insuper : « Ita se res habet ut » possit, ex temperatione juris, cum potestas in populo, auctoritas » in senatu sit, teneri ille moderatus et concors civitatis status (3). » Respondemus igitur *legumlatores* et populum et senatum et plebem fuisse. Curiatim et centuriatim et tributim ferri suffragia noster, ut videtur, probat, et inde a curiis et Jovis et Martis flamines nominari et dari triumphos et magistratibus electis imperium attribui, a centuriis et consules et censores et prætores et regem sacrorum eligi et populiscita, ut aiebant, ferri, a tribubus autem cæteros magistratus eligi et ferri plebiscita quæ lege Horatia, et Publilia, et Hortensia, populiscitis exæquata sunt. Senatus autem consultis quibus eadem lex Hortensia vim legum dedisse fertur, fere publicum consilium regi noster facile velit, « præsertim, ut ait, si proximæ legi parebitur : Is » ordo vitio careto, cæteris specimen esto (4); » lex enim sancta et immortalis, lex orta Jove ex divino consessu descendere videatur necesse est. Inde hæc etiam : « Vis in populo abesto; » si quis enim legum naturam perspexerit, nihil tam contrarium « juri et legibus « inveniri poterit, ut antea diximus, quam quidquam agi per vim (5). » Populus autem senatum imitabitur, ac si patrum decreta rite laudari poterunt, egregiis quoque legibus et plebiscitis res Romana ordinabitur : melius enim aut perniciosius de republica merentur eximii principes aut vitiosi, quod non solum hi virtutes, illi vitia concepere, sed ea infundunt in civitatem (6).

Non autem unicuique civium, sed quibusdam magistratibus jus legis rogandæ datum est, quæ altera pars hujusce potestatis esse dicitur : « Cum populo patribusque agendi jus esto consuli, prætori, ma-» gistro populi equitumque eique quem produnt patres consulum » rogandorum ergo; tribunisque quos sibi plebes rogassit, jus esto » cum patribus agendi; iidem ad plebem quod œsus erit, ferunto (7). » Probat igitur noster ab hoc antiquo more discedi : « Tribuni autem

(1) De Legibus III, 3.
(2) De Legibus III, 3.
(3) De Legibus III, 12.
(4) De Legibus III, 12.
(5) De Legibus III, 18.
(6) De Legibus III, 14.
(7) De Legibus III, 4.

» neque advocant patricios, neque ad eos referre ulla de re pos- » sunt (1). » Cum autem a tribunis aut cæteris magistratibus agun- tur in senatu vectigalia, tributa, provinciæ, res bellicæ, legationes et religiones, licet patribus, postquam pro rogatione promulgata senten- tiam dederunt, præterea *delendam Carthaginem* aut quidvis aliud ultro censere. Quomodo autem agant magistratus docet mos majorum, docet antiquitus instituta religio : « Qui agent auspicia servanto ; au- » guri parento (2). » Quod sæpius istis temporibus obliti erant : » Promulgata, proposita, in ærario cognita, agunto ; nec plus quam » de singulis rebus semel consulunto ; rem populum docento ; do- » ceri a magistratibus privatisque patiunto (3). » Intercessores præ- terea facti sunt ; « quo nihil præstantius ; impediri enim bonam rem » melius quam concedi malæ (4) » : unde hæc : « Par majorve po- » testas plus valeto. Intercessor rei malæ salutaris civis esto (5). » « Quis enim, ait, quis non studiose reipublicæ subvenerit, hac tam » præclara legis voce laudatus (6) ? » « At si potestas par majorve » prohibessit, senatus-consulta perscripta servanto (7) ; » sic enim « senatus auctoritas, » ut aiebant, perscripta manet, quoad eadem de rogatione rursum disseri poterit. Veteres quidem et sanctas legum- latori leges impositas ! picturam egregiam, sed magis ac magis in dies vetustate evanescentem ! Iratus ac mœsta voce leges Antonii Tullius impugnabat : « Ac de iis tamen legibus, ait (Cæsaris enim leges signi- » ficat), quæ promulgatæ sunt, saltem queri possumus ; de iis, quæ » jam latæ dicuntur, ne illud quidem licuit. Illæ enim nulla promul- » gatione latæ sunt ante quam scriptæ. Quærunt quid sit, cur aut » ego, aut quisquam vestrum, P. C., bonis tribunis plebis, leges ma- » las metuat. Paratos habemus, qui intercedant ; paratos qui rem- » publicam religione defendant : vacui metu esse debemus. Quas tu » mihi, inquit, intercessiones ? quas religiones ? Eas scilicet, quibus » reipublicæ salus continetur. Negligimus ista, et nimis antiqua et » stulta ducimus. Forum sepietur ; omnes claudentur aditus ; armati

(1) Aul. Gellii Noct. Att. XV, 17.
(2) De Legibus III, 4.
(3) De Legibus III, 4.
(4) De Legibus III, 18.
(5) De Legibus III, 4.
(6) De Legibus III. 19.
(7) De Legibus III. 3.

» in præsidiis multis locis collocabuntur. Quid tum? quod erit ita » gestum, id lex erit (1). »

Duplex autem norma suffragia patrum et populi regat necesse est : « Creatio magistratuum, judicia populi jussa, vetita, cum suf- » fragio conciscentur, optimatibus nota, plebi libera sunto. » Hic autem optimatium propugnator valde Quintus frater irascitur, et in quatuor leges tabellarias dum fulminat, potius recognosci leges populi Romani quam repeti ereptas aut novas conscribi dolet : etenim cum quæritur utrum clam an palam ferre suffragia melius sit, Marcus quidem se in ista sententia fatetur esse, « nihil ut fuerit in suffragiis » voce melius; » dum autem id obtineri an possit, dubitat, libertatem largitur populo, sed ita largitur « ut auctoritate et valeant et utantur » boni ». Hæc igitur : « habeat sane populus tabellam, quasi vindi- » cem libertatis, dum modo hæc optimo cuique et gravissimo civi os- » tendatur ultroque offeratur; » sic enim quasdam leges tollere noster ausus est « quæ tegebant omni ratione suffragium, ne quis inspi- » ceret tabellam.» Lege autem nostra nihil divinius excogitari potest, cum « libertatis species datur, auctoritas bonorum retinetur. » Quomodo autem in curia suffragia ferenda sint, præclare, ut opinor, lex altera docet : « Senatori qui nec aderit, aut causa, aut culpa esto. » Loco senator et modo orato. » Senator adsit! Quid enim si vacua fiant subsellia, si boni taceant, si turba Clodiorum libere patrum cervicibus incumbant? longas dein orationes noster prohibet, nisi cum tolli diem utile est, aut cum maxima causa est; legem claudit hortando ad causas populi tenendas, hoc est, ad noscendam penitus rempublicam : scilicet mox bracati patres Urbi insultabunt, qui vel curiæ iter ignorent!

Imperium autem, quæ pars secunda publicæ potestatis esse dicitur multis magistratibus creditum erat, nedum, ut sæpe fit in bene mixta civitate ac temperata, in manibus unius viri consisteret! Neque autem, secundum meram speculationem, id Romæ quod in nulla civitate, hinc legis ferendæ potestatem, illinc imperium plane divisa ac separata videre est. Qui rogabant legem, qui intercedebant, hic magistratus eosdem plerumque reperimus. Sunt consules, dictatores, tribuni, ædiles, censores, prætores minoresque magistratus.

(1) Phil. 1, 10.

« Justa imperia sunto (1). » Quid enim si divinis humanisque rebus mixtis, per fas et nefas ad imperium grassari soleant? quid si injuste paratum injuste imperium exerceatur? « Iisque cives modeste ac sine » recusatione parento (2). » Nullam enim excusationem afferent cur legem conculcent, cum suas quisque res agat et juste res Romana constituatur. Hic igitur « auspicia patrum sunto; » omnibus enim cærimoniis pollutis, traditis anciliis, penetralibus, diis deorumque cura quibus est nefas, respublica polluta atque imminuta est : « Elu- » dant nunc licet religiones, ait Appius. Quid enim est, si pulli non » pascentur? si ex cavea tardius exierint? si occinuerit avis? Parva » sunt hæc, sed parva ista non contemnendo, majores nostri maxi- » mam hanc rem fecerunt (3). » Romanam quidem vocem, Tullia- nam fere! Sed hæc quoque, Cæsaris ac Pompeii temporibus, ferenda lex, quam tempus aboleverat : « Imperia, potestates, legationes, cum » senatus creverit populusque jusserit, ex urbe exeunto; duella justa » juste gerunto (4), » sic enim pauciora gerentur; non bella noster amat. Hoc etiam justi imperii est : « Eumdem magistratum, ni inter- » fuerint anni, ne quis capito (5). » De quo aliter alii sensere, cum hinc libertatem populi sublatam rati sunt neque fieri posse quominus, in- gruente procella, pro salute reipublicæ lex impune violaretur, illinc legem a Sulla jure consecratam et confirmatam, sic tantum recta et naturali via consilii stabilitam et amplificatam optimatium vim ac po- testatem, denique, cum immensum corpus reipublicæ vix sine rec- tore librari et stare posset, nullum majus formidolosiusve periculum iuveniri potuisse, quam ut ipsa lege perpetui tyranni erigerentur : recte Tullium sensisse dat argumentum Julius Cæsar. Hanc postremam legem bene latam esse dat argumentum Cæsar Octavianus : « Ævitatem » annali lege servanto (6). » « Legibus enim annalibus, cum grandio- » rem ætatem ad consulatum constituebant, adolescentiæ temeritatem » verebantur (7). »

Quos autem reipublicæ magistratus præesse velit noster, nemini du-

(1) De Legibus III, 3.
(2) De Legibus III, 3.
(3) T. Liv. VI.
(4) De Legibus III, 3.
(5) De Legibus, III, 3.
(6) De Legibus, III, 3.
(7) Phil. V, 17.

bium reor. Majores a minoribus primum secernit, Romano de more : « Minores magistratus, partiti juris, plures in pluria sunto. Militiæ, » qui jussi erunt, imperanto ; eorumque tribuni sunto. Domi pecu- » niam publicam custodiunto : vincula sontium servanto : capitalia » vindicanto : æs, argentum aurumve publice signanto : stlites con- » tractas judicanto : quodcumque senatus creverit, agunto (1). » Non istis aditus in senatum patebit.

« Suntoque ædiles, cœratores urbis, annonæ ludorumque solen- » nium : ollisque ad honoris amplioris gradum is primus adscensus » esto (2). » Sic enim ordinabantur hæc imperia ut pedetentim ad summum fastigium plerumque ascenderetur. Plebeii quidem ædiles erant sive tribunorum legati, qui minores inter magistratus adnume- rarentur : curulis vero ædilitas, quæ patriciorum antea fuerat, futu- ram omnem ædilium fortunam in se continebat, ob frumenta et ludos, quod multitudini deleniendæ maximo adjumento esse solet. Inde fiebat ut « Mamerco, homini divitissimo, prætermissio ædilitatis consulatus » repulsam attulisset. Quare et, si postulatur a populo, bonis viris si » non desiderantibus, attamen adprobantibus, faciendum est, modo » pro facultatibus, nos ipsi ut fecimus... In his autem ipsis, medio- » critas regula optima est (3). »

Ab ædilitate ad prætoram plerumque perveniebatur. Nihil autem Tullius, præter summa judiciariæ potestatis munera, prætori tribuit, quod recentissimis civilis philosophiæ præceptis consentaneum esse videatur. Ciceronis autem tempore, ex decem prætoribus hi provincias administrabant, illi pro consulibus absentibus habebantur, illi exer- citibus imperabant : neque tanem ideo fiebat ut permiscerentur om- nia, cum suo quisque munere fungeretur.

« Regio imperio duo sunto : iique præeundo, judicando, consu- » lendo prætores, judices, consules appellantor. Militiæ summum jus » habento, nemini parento. Ollis salus populi suprema lex esto (4). » Cum enim decrevere patres ne quid detrimenti respublica caperet, nobilissimi viri impune in carcerem conjiciantur, impune patria ex fœdissima flamma, tota Italia ex bello et vastitate eripiatur necesse est.

(1) De Legibus III, 6.
(2) De Legibus, III, 3.
(3) De Officiis, II, 17.
(4) De Legibus, III, 3.

Hic igitur sit finis honorum populi ; consules incedant, trabea, eburneo scipione, prætexta ornati, duodecim lictoribus fasces virgarum et secures præferentibus; senatum enim convocant, populum convocant; utriusque duces ad terrarum orbem subigendum legibusque pacandum exstiterunt : unde fit ut signata consulum nominibus Romanorum annorum series immortali splendore mundum perlustraverit.

Sic autem truncata hæc regia potestas natura debilis erat ut aliquando instanti procellæ obstare non posset, seu frenis gravioribus impediebatur, seu diviso imperio diversas in partes distrahebatur : inde fit ut regia potestate sublata, regia potestas interdum restitueretur, facto dictatore. Sic enim Valerias leges eludebant quibus intra muros imperio consulari modus adhibebatur : Livius igitur : « Creato dictatore, magnus plebem metus incessit (1). » Quod autem vim regiam a temperata nostra civitate exsulare demonstrat : hoc idem, vel in bene morata urbe periculosum erat, quia semper magnum in silentio legum periculum est, immo in novissimis temporibus exitiale reipublicæ dici potest, quod novas res inhiantibus via legum evertendarum legibus erat patefacta. Tullius tamen : « Ast quando duellum gravius » discordiæve civium escunt, œnus, ne amplius sex menses, si se» natus creverit, idem juris, quod duo consules, teneto : isque, ave » sinistra dictus, populi magister esto (2). » Ciceronis quidem dictatorem a patribus eligi animadvertamus necesse est, dum Romanum dictatorem a consulibus electum esse quidam putant; insuper eamdem consulibus, eamdem populi magistro potestatem tribuere videtur, neque in hunc modum profecto verba faciat, « dictatore opus » esse reipublicæ, ut qui se moverit ad sollicitandum statum civitatis » sentiat sine provocatione dictaturam esse (3). » Quin etiam dictatori, cum is antea designaret sibi ministrum, qui magister equitum vocabatur, rem tantam adimit : « Equitemque qui regat habeto pari » jure cum eo, quicumque erit juris disceptator (4). » Denique semestre tantum imperium esse jubet. Etenim dictaturam quanquam retinet ita metuit ut dictatorem adversus Lentulos et Cethegos nomi-

(1) T. L. II, 18.

(2) De Legibus III, 3.

(3) T. L. III.

(4) De Legibus III, 3. Optimo jure, Orellius ait, Cicero hac lege significat magistrum equitum suis temporibus non ut prius a dictatore dicendum esse, ne libertas facilius opprimatur; nec tamen præfinit penes quem id jus esse debeat.

nari noluerit, et ultra consulare imperium in civibus necandis procedere coactus sit. Immo Marco Antonio senex gratulabitur sublatam dictaturam (1). Scio quemdam præteriti sæculi philosophum hæc et talia de dictatura sensisse : « Si leges reipublicæ nocent, dux adesse » debet qui leges interdum premat et populi jura contiscescere ju- » beat... Romani erraverunt qui dictaturam in novissimis reipublicæ » temporibus expavere. » Sed longe mihi alia mens est, cum seriem temporum intueor; excogitavere patricii dictaturam, subsidium in plebem, cum libertatem æquari nollent : æquata libertate, cur dictaturæ creberrimæ fiant haud intelligo : nempe aut invalido consulatu, fracta regia potestate, res Romana minuebatur et regia vis amplificanda fuit; aut regni bene satis expressa consularis potestas imago dici poterat, et dictatura fuit eradicanda.

Sed is erat rei Romanæ status ut patricii consulatum, cum fierent Icilii Canuleiique consules, omnibus modis imminuerent dividerentque, quo diutius sparsis regiæ potestatis splendoribus suum ordinem illuminarent. Hinc ædilitas, hinc prætura, hinc quoque censura : censorum Tullius peculiari cura munera describit, utpote qui prope viginti annos deletam censuram ægre ferat : « Censores populi ævi- » tates, suboles, familias pecuniasque censento : urbis templa, vias, » aquas, ærarium, vectigalia tuento : populique partes in tribus dis- » tribuunto : exin pecunias, ævitates, ordines partiunto : equitum » peditumque prolem describunto : cœlibes esse prohibento : mores » populi regunto : probrum in senatu ne relinquunto : bini sunto : » magistratum quinquennium habento : eaque potestas semper es- » to (2). » Scilicet existimatio publica pro lege est : lege voluntas publica, publica existimatio censoria voce declaratur. Hæc autem censura mire cuidam philosopho placeat, quippe qui eam nullo uti apparatu velit, quia nihil in opinione per vim exerceri tractarive solet; censores enim, licet inter majores magistratus nominarentur, tamen nec ferendæ legis jus habebant neque lictoribus aut viatoribus utebantur. Idem vero censuram a Tullio restitutam profecto vituperet, quippe qui censuram moribus retinendis utilem, restituendis inutilem existimaverit (3). Altera autem vi et potestate censura viguerat,

(1) V. Phil. I.
(2) De Legibus III, 3.
(3) V. *Rousseau. Contrat Social* IV, 7.

dum hi corpus populi formarent et crearent, atque ordines partiendo legumlatorem ipsi quodammodo constituerent. Sed quanquam octavo anno post Sullam mortuum restituti censores LXIV patres ex isto Sullano senatu ejecere, vix umbra tantæ dignitatis in civitate permanebat; neque isti erant qui, tot gentibus in dies comitia pervadentibus, quidquam in suffragiis aliqua descriptione classium mutare possent, vel in tanto contemptu viventes, cooptationem in senatu retinerent: jure « sublatam cooptationem censoriam » Tullius probat (1). Hos tamen colit et cultos velit, « quandoquidem in repu» blica semper vult esse (2) » : novas igitur partes invenit : « Fide » leges custodiunto (3), » id est, « cum publicis litteris consignatam » memoriam publicam nullam habemus, » νομοφύλακες creentur; sed nescio an censores νομοφύλακας Romani paulo plus rideant. His denique judiciariæ potestatis excelsum munus græco more tribuit ut magistratus universos judicent, quod infra videbimus.

Quid autem de tribunatu? non is est noster qui tribunitiam potestem nescierit. Ista quidem juvenis admodum juveniliter loquebatur : « O nomen dulce libertatis! o jus eximium nostræ civitatis! o gra» viter desiderata et aliquando reddita plebi romanæ tribunitia po» testas (4)! » Mutatus autem quadriennio : « Cogitare et penitus » perspicere debetis quid mali, quantum periculi unicuique nos» trum inferre possit vis tribunitia, conflata præsertim invidia et » concionibus seditiose concitatis. Optimis hercle temporibus, tum, » cum homines se non jactatione populari, sed dignitate atque inno» centia tuebantur, tamen nec P. Popillius, nec Q. Metellus, claris» simi atque amplissimi viri, vim tribunitiam sustinere potuerunt: » nedum his temporibus, his moribus, his magistratibus... salvi esse » possimus (5). » Præclare; nunc legem recitemus : « Plebes quos » pro se contra vim auxilii ergo decem creassit, tribuni ejus sunto : » quodque ii prohibessint, quodque plebem rogassint, ratum esto : » sanctique sunto : neve plebem orbam tribunis relinquunto (6). » Quintus igitur frater, ira magna percitus, viva voce legem antiquat

(1) De Legibus III, 12.
(2) De Legibus III, 20.
(3) De Legibus III, 4.
(4) In Verrem Actio II, V, 63.
(5) Pro Cluentio, 35.
(6) De Legibus III, 3.

et vehementissime tribunàtum impugnat; hoc unum multis modis objicit : Principum gravitatem adflixerunt ; et inde totam hanc historiam « sceleratam » evolvit, Canuleiam legem, Sextiam legem, Flaminii legm agrariam, consules in carcerem a Curiatio conjectos, graccha-nasque seditiones, et Saturninos, et Clodios in patrem patriæ tribunitium mucronem exacuentes : « Quamobrem, ait, in ista quidem re » vehementer Sullam probo, qui tribunis plebis sua lege injuriæ » faciendæ potestatem ademerit, auxilii ferendi reliquerit : Pompei-» umque nostrum cæteris rebus omnibus semper amplissimis sum-» misque effero laudibus, de tribunitia potestate taceo. Nec enim re-» prehendere libet nec laudare possum (1). » Marcus vero Tullius tribunitiam potestatem nimiam esse confitetur ; quis enim negat (2)? sed duas ob causas defendit ; ne rem suam in Clodium agere, ne tribunatum quem nullo pacto exscindi posse putat, adoriri temere videatur : sic enim Pompeium excusat : « Pompeium, quod una tota in re » non valde probas, vix satis mihi illud videris attendere, non solum » ei, quid esset optimum, videndum fuisse, sed etiam quid necessa-» rium. » Quœso, num Tullius hic in suo libro Pompeium imitari coactus est? Hæc insuper de Pompeio : « Sapientis auten civis fuit cau-» sam nec perniciosam et ita popularem ut non posset obsisti perni-» ciose populari civi non relinquere (3). » Quœso, nonne hic Pompeius popularem civem imitari stolide dedicerat? nonne hic populi clamore et plausu delenitus perficiebat quod frustra, Cæsaris ope, Sicinius quidam antea tentaverat? Fateor optime Marcum tribunitiis historiis respondere, dum ait ipsum consulatum vituperabilem fore » si consulum quos enumerare nolo, peccata collegeris (4), » sed nullam affert causam cur hæc nimia potestas retineatur, nisi forte credamus hane vim populi, ducem quod habet, interdum leniorem esse quam si nullum haberet (5). Egregiam sane laudem tribunitiæ potestatis habemus, cum omnia salva noster ideo judicat quia deni creantur : quod enim est tam desperatum collegium in quo nemo e decem sana mente sit (6)? Equidem nullos creari velim ; factos noster

(1) De Legibus III, 9.
(2) V. De Legibus, III, 10.
(3) De Legibus III, 11.
(4) De Legibus III, 10.
(5) De Legibus III, 10.
(6) De Legibus III, 10.

jure probat, post reges exactos. Quid enim? Tunc plebs æquandæ libertatis causa dimicabat : paucorum in manibus respublica sita erat ; nulli magistratus, nisi patricii ; suos quoque magistratus plebs habuit qui quod populi erat repeterent atque usurparent : sed æquata libertate, cum magistratus populi facti sunt, cur plebis magistratus quoque videam? cur tribuni cœlum ac terras misceant? Deletos malim quam ita reformidatos ut adversus tribunitiam potestatem in ipso tribunorum numero subsidium quæratur.

Summa autem hujusce potestatis apud senatum erat, quod supra facile perspici potuit, cum senatus partes enumeravimus ; diuque illibatam de re militari, semper integram de re pecuniaria et triumphis et legationibus auctoritatem hic retinuit ; quam ita exercebat ut, si Polybio credamus, Romam omnino in manibus optimatium fuisse peregrini semper existimaverint.

Nunc pauca de judicandi potestate dicenda sunt : quam divisam a reliqua publica potestate ac separatam Romani minime intellexerant. « Omnes magistratus judicium habento (1). » Tullius triplicem divisionem publicæ potestatis ita nescit ut vim judicandi quamdam imperii particulam existimasse videatur, et hoc præceptum suis legibus inscripserit. Quin etiam Romano de more idem legumlator erit, idem judex supremus et arbiter, populus : nec enim tantummodo provocatio vetus confirmata et consecrata est : « ad populum provocatio » esto ; » verum etiam populo judicium hujuscemodi defertur : « Cum » magistratus judicassit inrogassitve, per populum mulctæ, pœnæ » certatio esto (2). » Tunc autem, moribus in pejus mutatis aut discordiis æstuante republica, semper fit illud quod sæpe dictum est ut magistratus in tyrannidem delabantur ; quod si provocatione populari emendaveris, ut noster hic fecit, fit illud quoque ut libere in capita civium innoxia desæviatur et aut re aut verbis privilegia ferantur (3). Hoc præcipue in quibusdam judiciis. Erant enim judicia populi. Centuriæ de vita civium ac nece ; et si quid adversus majestatem populi Romani esset admissum, cognoscebant, tribus, si quid adversus plebem dictum aut factum esset. Immo tribus, quoties agebatur de mulcta, maximum centuriatum ex arbitrio maiorum magistratuum generaliter

(1) De Legibus III, 3.
(2) De Legibus III, 3.
(3) *V. Montesquieu. Esprit des Lois, XI*, 6.

judicare potuisse credimus. Necnon perpetuæ quæstiones erant institutæ quæ judicia publica vocabantur. Provocationem autem noster, militiæ tollit, domi retinet. « Militiæ ab eo, qui imperabit, provocatio » ne esto. » « Magistratus... noxium civem... coerceto, ni par majorve potestas populusve prohibessit : ad quos provocatio esto. » Qua autem pœna coerceat? « Mulcta, vinculis, verberibus. » Summa igitur istorum judiciorum duabus maximis legibus regitur : omnes magistratus judicium habent; summa judicandi potestas in populo sita est.

Novum autem tribunal Tullius instituit. Censores, quandoquidem hinc judicium habent, illinc moribus et disciplinæ magistratuum omnium invigilant, jubet de his qui magistratu abierint dijudicare, sed ita ut cæteris eos, qui abeunt, in jndicium vocare integrum sit; nec enim publice constitutos accusatores, Gallico more, *satis graves* esse noster existimat; jus accusandi civibus adimere non vult, et merito, quoniam, istis temporibus, in magistratibus ad accusandum publice constitutis, certissima spes impunitatis ostendebatur.

Privata autem judicia a rege et consulibus ad prætorem translata sunt, sive judicat ipse, sive judicandi munus delegat : « Juris » disceptator, qui privata judicet judicarive jubeat, prætor esto. » Is juris civilis custos esto (1). » Scilicet in edicto prætoris edebantur « formulæ de omnibus rebus constitutæ... Expressæ sunt enim ex » uniuscujusque damno, dolore, incommodo, calamitate, injuria, » publicæ a prætore formulæ ad quas privata lis accommodetur (2). » Prætor designat judicem qui « hoc parere aut non parere », ex formula declaret, id est, sententiam ferat. Judicia autem postquam legibus C. Gracchi, Cæpionis, Servilii Glauciæ, Plotii, Sullæ et Aurelii Cottæ a senatu ad equestrem ordinem jactata erant, denique sic ordinabantur ex lege Pompeia ut ex amplissimo censu in centuriis legerentur judices; quod non plane Ciceroni ratum et adprobatum esse videatur. Nec enim, ut opinor, tantummodo noster « conceptam senatorio ordini » propter judicia « turpitudinem atque infamiam (3) » clamitabat vel hæc et talia dictitare consueverat : « Quoniam sunt homines quos libidinis infamiæque suæ neque pu-

(1) De Legibus III, 3.
(2) Pro Quinto Roscio, 8.
(3) In Verrem actio I, 16.

» deat neque tædeat (1), » vel « Jam vero quomodo illam labem, » ignominiam calamitatemque totius ordinis conquerar (2)? » vel etiam « Necesse est, cum de toto ordine desperarit populus, aliud » genus hominum atque aliam rationem judiciorum requirat (3), » propterea quod nondum senatus partes amplectebatur; hoc insuper expetebat et conquirebat ut medio cuidam ordini judicia crederentur, quem amplificare ardebat: forsan et hic senserat quot et quanta in civitatem incommoda redundarent, cum judicarent iidem, iidem reliquam rempublicam perpetuo consilio regerent. Utut est, sic ordinaria judicia instituta erant, neque ullum ferme hominem invenias qui *judicii* et *juris* hanc divisionem, cum hinc magistratus edictum ederet, illinc judex ferret sententiam, non laudaverit; perraro enim fiebat ut prætor ipse extra ordinem de lite cognosceret.

§ IV.

Constitutis autem magistratibus, de religione pauca loquamur; religione enim ante omnia civitatem contineri Tullius existimat. Jus igitur sacrum prius aggreditur quam de populi et patrum potestate vel de magistratibus ordinandis legem ferat. Quid enim? Veterem Romam in lucem revocat; mores antiquos pio quodam amore colit et amplectitur; non is est qui, dum amplissimo labori incumbit, maximam et altissimam ingentis imperii columnam fulcire ac sustinere negligat; non is est qui Urbem auspicato conditam, magis ac magis in dies, vinculo religionum soluto, fatiscere patiatur. Grande igitur sacratæ legis proœmium canere incipit, quo deos esse doceat, mundi rectores et moderatores, genitoresque hominum, piorum fautores, impiorum castigatores. Nempe « utiles esse opiniones has quis neget, » cum intelligat quam multa firmentur jurejurando, quantæ salutis » sint fœderum religiones? quam multos divini supplicii metus a sce- » lere revocarit? quamque sancta sit societas civium inter ipsos, diis » interpositis tum judicibus, tum testibus (4)? » Quod quidem præclarus augur iste jure dixerat. Neque tamen nobis, quanquam ille non

(1) In Verrem actio I, 13.
(2) In Verrem actio I, 13.
(3) In Verrem actio II, 1, 8.
(4) De Legibus, II, 7.

a se perfectam legem, sed vix rerum summas edi monet, totam hanc legem et expromere et explicare libet; quod autem in Tulliano jure sacro ad statum urbis pertinet, breviter ostendemus.

Tullius, ut liquet, religionem inter rationes administrandæ reipublicæ adnumerat, quod antiquitus usitatum esse perhibent... Itaque separatim, nisi publice adscitos, deos habere vetat (1), ne religionibus novis quidquam in statu reipublicæ labefactetur : sic deinde in Christianam religionem impetus factus est. Inde fit ut ludis publicis religionem interesse velit : quod mire Athenis compositum erat, nam apud Græcos omnis res scenica cum Deum honore celebrabatur ; sic ubi oblectamentum, ibi quoque sanctam religionis doctrinam inveniebant. Inde fit quoque ut quidquid ad augures et haruspices pertinet, Tullius, dum in libris de Divinatione ridiculum sane arbitraretur, hic, cum civitas ordinanda est, summo studio colat et consecret : « Interpretes autem Jovis Optimi Maximi, publici augures, signis et » auspiciis postea vidento, disciplinam tenento. Sacerdotesque vineta » virgetaque et salutem populi auguranto, quique agent rem duelli » quique popularem, auspicium præmonento, ollique obtemperanto : » divorumque iras providento, iisque apparento : cœlique fulgura re» gionibus ratis temperanto : urbemque et agros et templa liberata » et effata habento : quæque augur injusta, nefasta, vitiosa, dira dé» fixerit, inrita infectaque sunto ; quique non paruerit, capital » esto (2). » Noster autem hoc recte : « Neque vero hoc, quia sum ipse » augur, ita sentio (3). » Utut est, augurum metu comitiatus et concilia, vel instituta dimitti, vel habita rescindi, maximum, rem susceptam dirimi, gravissimum, posse decerni ut magistratu se abdicent consules, magnificentissimum, et jus dari aut non dari agendi cum plebe aut populo religiosissimum noster augur existimat. Maximum autem et præstantissimum augurum jus nescio an vitia legum publicarum emendaverit; sed hanc disciplinam et artem augurum cum evanuisse noster fatetur, quanquam propter multas causas apud majores exstitisse canit, nescio an nostræ philosophiæ magis consentaneum sit e republica tollere. Scilicet ea de auguratu noster senserat quæ de ista lege, qua sine iis qui sacris publicis præsint, religioni

(1) V. De Legibus II, 8.
(2) De Legibus II, 8.
(3) De Legibus II, 12.

privatæ satisfacere non possint (1) : « Continet rempublicam consilio » et auctoritate optimatium semper populum indigere (2). »

Facile tamen intelligimus quo pacto noster majus periculum in abolenda religione quam in istiusmodi religione servanda vidisset. Quod enim de rege scriptor quidam inclytus, hoc de omni homine libenter dixerim : Religionem qui timet et amat est leo manu blanda vel blanda voce delenitus ; qui timet oditque fera est, tota in catenis mordendis ; qui nullam novit bestia est, tantum libera et læta, cum lacerat et devorat (3). Pessimum est abuti religione ; pejus religione non uti. Quam tunc impugnare quid proderat? qua sublata, quid futurum ?

Ergo hæc antiqua colit, hæc obsoleta veneratur ; nam hic mos majorum, hic vetus, hic vera Roma ; nec mirum si, vel eo tempore quo Piso sacellum ubi sacra suæ gentis erant celebrata, diruerat, quo gens Potitia rogaverat ut Herculis sacrificia servis permittere liceret, quo Cæsar collegam Bibulum ita ridebat ut noster Pomponio suo scriberet Bibulum quidem in cœlo esse (4), totam vero periisse rempublicam (5), Tullius vestales et flamines et fetiales servat, imo sacra gentilitia (6), suprema vestigia gentilitatis, in civitate sua retinet. Dum igitur dulcis Romæ suæ reminiscitur, hanc fingit ad fictiles rediisse Deos : « Ad » Divos adeunto caste. Pietatem adhibento : opes amovento (7).... Sos » leto datos, divos habento : sumptum in ollos luctumque minuun- » to (8). » Hic legem XII Tabularum imitabatur. Tunc enim, Roma nascente, « templorum quoque majestas præsentior (9) ; » et « per » fictiles deos religiose jurabatur (10). »

Religione ac moribus a procellis Roma serviata est (11) : bonos autem mores religione noster ali senserat : qua pereunte, mores stare non possint. Quare hanc religionem tanquam in altissima et purissima sede collocare velit, unde pietas, fides, decus in omnem populum defluant.

(1) De Legibus II, 8. Quoque hæc privatim, etc.
(2) De Legibus II, 12.
(3) V. *Montesquieu. Esprit des Lois.* XXIV, 2.
(4) Att. II, 19.
(5) Att. II. 21.
(6) De Legibus II, 8. Ritus familiæ. De Legisbus II, 9. Sacra privata.
(7) De Legibus II, 8.
(8) De Legibus II, 9.
(9) Juv. XI, 5.
(10) Senec. Ep. 51.
(11) V. *Montesquieu. Esprit des Lois*, VIII, 13.

Hos igitur colendos ostendit « quos endo cœlo merita locaverunt (1), » perinde ac si præmium amplissimum terrestribus æmulis proponat; hæc ostendit colenda « propter quæ datur homini adscensus in cœlum, » mentem, virtutem, pietatem, fidem; earumque laudum delubra » sunto (2), » aut illas qui habeant (habent autem omnes boni), deos ipsos in « animis suis collocatos putent (3); » vitiorum autem sacra solennia fieri vetat, ut antiquitus usitatum : « Virtutes enim, non » vitia consecrari decet (4). » Eodem animo nocturna mulierum sacrificia prohibet, quibus paulo post adolescentes imperator Augustus arcebat (5). Quasdam denique leges rogat quibus excelsius quiddam de Deo sentire populos edoceat : sic jurgia feriis amoveri jubet; sic prohibet ne impius iram Deorum placare donis audeat; sic minuit sumptum in delubris et sepulcris. Quid enim naturæ magis consentaneum quam tollere diversitatem fortunarum in rebus ac temporibus istis quibus fortunæ omnes æquantur ?

§ V.

Sic autem religio omnibus institutis immixta erat ut jus illud, quod spectat ad alienigenas, et in pace et in bello tota regeret. « Fœ- » derum, pacis, belli, induciarum oratores, fetiales judicesque sunto; » bella disceptanto (6). » Hic pro vi sacrum jus, pro vi bella religiose indicta Tulliana nostra civitas retineat! Ibit fetialis ad fines imperii, velato capite; narrabit injuriam; populo satisfieri rogabit; redibit ad senatum qui triginta diebus elapsis bellum fieri jubeat; perget iterum ad fines et hasta emissa bellum indicet; deinde cum bella sedata erunt, quibusdam cærimoniis panget fœdera; denique pactis fœderibus invigilabit; quæ si infracta erunt, bellum renovabitur. Sic forsan ab injustis bellis aliquando temperatum est; sic forsan bellorum cruenta feritas mitigari cœpit. Profecto enim Romani bella crudeliter gessere; sed religiosa quadam spe bella susceperant, hac spe ut urbs

(1) De Legibus II, 8.
(2) De Legibus II, 8.
(3) De Legibus II, 11.
(4) De Legibus II, 11.
(5) Suet. in Augusto, 31. V. *Montesquieu. Esprit des Lois*, XXIV, 15.
(6) De Legibus II, 9.

auspicato a Martis filio in æternum condita in immensum cresceret. Inde fit ut nunquam populos prædæ loco in bellis habuerint, neque vastandi orbis terrarum gratia fecerint bella, verum subigendi; neque solitudinem fecerint ubi pacem appellavere, ne solitudinibus imperarent.

Ciceronis vero tempore, cum aut socios aut sine societate peregrinos Romanum imperium comprehenderet, noster, ut supra diximus, summa justitia et caritate populos omnes amplecti velit : « Sociis par- » cunto; se et servos continento (1). » Quali autem studio sociorum partes susceperit, testatur ejus quæstura, testantur in Verrem conciones acerrimæ : « Neque enim aliud Romæ æquum est, aliud in » Sicilia (2). » Meminimus qua voce Romanorum iniquitates ab avita via in orbe regendo deflectentium lacessat : « Lugent omnes provin- » ciæ; queruntur omnes liberi populi.... Sustinere jam populus Ro- » manus omnium nationum non vim, non arma, non bellum, sed » luctum, lacrymas, querimonias non potest... Placent vobis homi- » num mores? placet ita geri magistratus ut geruntur? placet socios » sic tractari, quod restat ut per hæc tempora tractatos videtis? Cur » hæc a me opera consumitur? quid sedetis? cur non in media ora- » tione mea consurgitis atque disceditis (3). » Roma igitur connubium, jus commercii, factionem testamenti peregrinis deneget : potes, Quinte, potes tuæ provinciæ legem a carissimo fratre postulare. Quid enim aliud Marcus ad fratrem? « Mihi quidem videtur, ait, huc om- » nia esse referenda iis qui præsunt aliis, ut ii qui erunt eorum in » imperio sint quam beatissimi; est autem non modo ejus qui sociis » et civibus, sed etiam ejus qui servis, qui mutis pecudibus præsit, » eorum quibus præsit commodis utilitatique servire.... Præclarum » est enim summo cum imperio fuisse in Asia triennium, sic ut nul- » lum te signum, nulla pictura, nullum vas, nulla vestis, nullum » mancipium, nulla forma cujusquam, nulla conditio pecuniæ... ab » summa integritate continentiaque deduxerit (4). » Ergo Ciceroni credimus hæc de se prædicanti : « Cum ad templum monumentumque » nostrum civitates pecunias decrevissent..., tamen id in quo erat di-

(1) De Legibus, III. 3.

(2) In Verrem Actio II, I, 46.

(3) In Verrem Actio II, III, 89.

(4) Quinto fratri I, 1.

» gnitas, erat lex, erat eorum, qui faciebant, voluntas, accipiendum » non putavi (1). » Ciceronem probabimus qui, cum sentiret nihil esse turpius quam quempiam legari, nisi reipublicæ causa, genus istud legationis consul tollere conatus est, ac, nisi intercessisset tribunus, sustulisset; minuit tamen, et, quod erat infinitum, annuum fecit (2), immo in optima sua civitate sustulit (3) : Ciceronem denique, cum hæc scriberet : « Civitates locupletes, ne in hiberna milites reci- » perent, magnas pecunias dabant, Cyprii talenta CC, qua ex insula » (non ὑπερβολικῶς, sed verissime loquor) nummus nullus me obti- » nente erogabitur. Ob hæc beneficia quibus illi obstupescunt, nullos » honores mihi nisi verborum decerni sino : statua, fana, τέθριππα » prohibeo : nec sum in ulla re alia molestus civitatibus; sed fortasse » tibi, qui hæc prædicem de me, » minime nobis molestum, vel hæc de se prædicantem, inveniemus; denique cum hujuscemodi institutis fultam civitatem intuebimur, bene nota verba recordabimur : « Atque » ille quidem princeps ingenii et doctrinæ Plato tum denique fore » beatas respublicas putavit, si aut docti ac sapientes homines eas » regere cœpissent; aut ii qui regerent omne suum studium in doc- » trina ac sapientia collocassent; hanc conjunctionem videlicet po- » testatis ac sapientiæ saluti civitatibus esse posse; quod fortasse ali- » quando reipublicæ nostræ contigit (4). »

§ VI.

Hic igitur Urbs æterna, seu vera, sive in melius a nostro Cicerone mutata ostenditur : hanc perfectæ civitatis imaginem et quæsivit et expressit. Quid autem? num hic recte sensit? num amore patriæ, num Romana superbia elatus rem Romanam placido animo judicavit? Scilicet D. Augustinus, dum quærit « quali velint felicitate gaudere et » quibus moribus vivere qui tempora Christianæ religionis incu- » sant (5), » longe aliam de ista urbe quam noster optimam ratus est sententiam tulit. Hæc de clientelis : « Obsequantur divitibus pauperes

(1) Quinto fratri, I, 1.
(2) De Legibus III, 8.
(3) De Legibus III, 3. Rei suæ ergo, etc.
(4) Quinto fratri I, 1.
(5) De Civitate Dei, l. II, c. XX.

» causa saturitatis atque ut eorum patrociniis quieta inertia per-
» fruantur; divites pauperibus ad clientelas et ad ministerium sui
» fastus abutantur. » Hæc de comitiis : « Populi plaudant non con-
» sultoribus utilitatum suarum, sed largitionibus voluptatum. » Hæc
denique de ludis : « Theatra inhonestæ lætitiæ vocibus atque omni
» genere sive crudelissimæ sive turpissimæ voluptatis exæstuent (1). »
O præclaram optimæ civitatis effigiem ! — Atenim in pessima reipu-
blicæ tempora invehitur. — Nullis temporibus parcit, ac dum quærit
« quid de moribus Romanorum aut metu compressis aut securitate
» resolutis Sallustii prodat historia, » diversis historiæ locis collatis,
Romanos vel eo tempore quo virtutibus eminebant, discordiis ac bello
civili vexatos et in mala republica versatos esse ostendit : deinde rem-
publicam, dum Ciceronis tempore, Cicerone judice, amissam esse
canit, adversus Ciceronem nunquam antea fuisse contendit, « quia
» nunquam in ea fuit vera justitia (2). »

Errat, vehementer errat D. Augustinus cum Romam semper dis-
cordiis esse jactatam existimat; nec immerito Tullius, cum hanc abso-
lutissimæ civitatis imaginem oculis proponit, in scenam Scipionem
ac Lælium inducit, eo tempore quo Roma laude ingenti jam florebat,
et moribus tamen adhuc retinebatur. Scilicet a Publilii legibus usque
ad seditiones Gracchanas respublica mire mixtis librata potestatibus
intus splendidissima concordia quievit; neque fere ullam civitatem
reperias quæ duorum sæculorum iter hac tranquilla et serena majes-
tate perfecerit. Egregiam sane discordiam ! Consules Africam provin-
ciam a senatu flagitant : rem ad populum senatus deferri jubet.
Plebeius quidam magni curionis munus petit; negant patricii; pro-
vocat ad tribunos qui rem præclare ad senatum deferunt; rem a se
tractari posse senatus negat : quam denique deferre ad populum tri-
buni coacti sunt. Quales vero plebis duces reperimus ! Tribunus est
Calpurnius Piso qui bis consul fuit; tribunus est Scævola quo nemo
in jure civili præstantior; tribunus est Sempr. Gracchus qui bis
consul et censor fuit; tribunus est Metellus qui consul Jugurtham bis
acie fudit. Consules ac tribuni, senatus ac plebs in hoc unum conspi-
rant ut, secundum veterem formulam, quod faxint Quirites, omnes
dii fortunare velint.

(1) De Civitate Dei, l. II, c. XX.
(2) De Civitate Dei, lib. II, c. XXI.

Atenim non aliæ leges tempore Publilii Philonis, non aliæ Ciceronis; ac nihilominus « rempublicam verbo retinemus, re ipsa vero » jam pridem amisimus (1). » Quo pacto nunc optima, nunc pessima eadem constitutio facta est? Credo equidem : ea constitutio quæ ducenos fere annos ita stetit ac viguit optima jure dici potest; neque tamen sic egregia fuit ut, quod fieri non poterat, attigerit, hoc est, moribus supervixerit. Ubi tres Decii qui vitam pro patria paciscuntur? ubi Atilius Serranus? ubi Fabricius et Æmilius Papus et Curius post triumphum cibos ligneis vasculis coquentes? Scilicet alii divitias profundunt « in exstruendo mari, in montibus coæquandis; aliis » res familiaris etiam ad necessarium deest; » alii « binas aut amplius » domos continuant; » queruntur alii sibi « larem familiarem nus- » quam ullum esse (2). » Evanuerant enim isti viri qui, neque nimiis opibus neque nullis, medium quoddam iter inter optimates et proletarios tenere consueverant; hi duxerant plebem; hi libertatem æquaverant; his viris antiquis res Romana tamdiu steterat. Cum autem hic strenuus plebis delectus bellis perpetuis imminutus est, vel, conversis agris in hortos et latifundiis magis ac magis in dies propagatis, et ingenuo, ut ita dicam, servilibus laboribus labore sublato, ad pauperlatem redactus est, tunc « mores ipsi virorum penuria interie- » runt (3). »

Viderat Scipio, colluviemque istam Romanæ plebis ita contempserat ut vir iste unus in quo niteretur civitatis salus (4) de populo Italico faciendo cogitavisset; viderat Tullius et remedium in medio quodam ordine creando frustra quæsiverat. Nec igitur mirum si noster in tanta calamitate reipublicæ semper ad *morem majorum* respiciat, si grandi voce libens ordiatur coram populo : « Est hoc in more posi- » tum, Quirites, institutoque majorum... (5), » si morem majorum tuendum principibus et capitis periculo defendendum existimet (6), si denique miros de Republica libros moris majorum amore ac desiderio confecerit. Divus enim Augustinus, cum imaginariam Romam a

(1) De Republica V, 1.
(2) V. Sallust. Catil. 20.
(3) De Republica V, 1.
(4) De Republica, VI, 6.
(5) De Leg. Agr. II, 1.
(6) V. Pro Sextio, 46.

Cicerone fictam esse contendit (1), paulo post, docendo « quam alieni » a jactantia esse debeant Christiani, si aliquid fecerint pro dilectione » æternæ patriæ, cum tanta Romani gesserint pro humana gloria et » civitate terrena (2), » invitus repentina Romanarum virtutum admiratione corripitur. Hos veteres Romanos Christianis ostentat : nec modo Roma recens suos habet et sanctos et martyres.

(1) V. De Civitate Dei, l. V. c. XII.
(2) De Civitate Dei, l. V, c. XVIII.

IV.

QUID M. TULLIUS CICERO PLATONI, ARISTOTELI, POLYBIO DEBUERIT QUÆRITUR.

§ 1.

Tullius pauca de his locutus est qui jam de republica scripserant : quos quidem superiorns alios fuisse in disputationibus perpolitos, quorum res gestæ nullæ invenirentur, alios in gerendo probabiles, in disserendo rudes doluit (1). Noster enim qui de se bene sentire consueverat, quot et quantæ res a se gestæ essent interdum confitebatur, neque se in disputationibus perpolitum oblitus erat. Veteres quidem acute rem tractaverant, et Plato princeps subtilius disseruerat de republica : sed Plato « civitatem optandam magis quam » sperandam, quam minimam posuit : non quæ possit esse, sed in » qua ratio rerum civilium perspici posset, effecit (2). » Cæteros vero, Aristotelem, Heraclidem Ponticum, Theophrastem, Dicæarchum, Panætiumve non amplius ad hunc usum popularem atque civilem descendere noster arbitratur. Uni Demetrio Phalereo veniam concedit, « qui mirabiliter doctrinam ex umbraculis eruditorum otioque non » modo in solem atque in pulverem, sed in ipsum discrimen aciem- » que produxit. Nam et mediocriter doctos magnos in republica viros » et doctissimos homines non nimis in republica versatos comme-

(1) V. De Republica I, 8.
(2) De Republica II, 30.

» morare possumus. Qui vero utraque re excelleret ut et doctrinæ » studiis et regenda civitate princeps esset, quis facile præter hunc » inveniri potest (1)? » Unde fit ut Pomponius subito respondeat : « Puto posse, et quidem aliquem de tribus nobis (2). » Scilicet Pomponius quid in Tullianis libris de Republica aut de Legibus esset peculiare, mire intellexerat : scripserat optimus consul, dux equestris ordinis, senatus propugnator, civis ultimus obeuntis reipublicæ : novit procellas gubernator, novit pericula navigantium; novit expertus repentinas insani maris istius conversiones. Si quem autem Ciceroni conferre velimus, hunc bella domi, hunc in portu procellas expertum esse confiteamur.

Nec ideo credamus de superioribus istis erravisse Ciceronem nimio sui consulatus amore, ita ut præstantissimum ingenium et meditationes excelsas haud intellexerit. Nonne is est qui Platonem, instar Panætii, et Platonem suum, et omnibus locis divinum, sapientissimum, sanctissimum, Homerum philosophum appellat (3)? Nonne Platonis in labeilis apes consedere (4)? Nonne Jovem aiunt philosophi, si Græce loquatur, sic loqui (5)? Nonne rogat noster ut « audiamus » Platonem, quasi deum quemdam philosophorum (6)? » nonne mavult demum « errare cum Platone quam cum istis vera sentire (7)? » Idem de Aristotele : « Veniet flumen orationis aureum » fundens Aristoteles (8); » et Aristotelem longe omnibus (Platonem semper excipio) præstare et ingenio et diligentia profitetur (9). Nihil igitur obstat quominus investigemus quid Platoni et Aristoteli noster debuerit, immo Platonem et Aristotelem cum illo comparemus; neque nobile certamen ipse noster Cicero recuset.

(1) De Legibus III, 6.
(2) De Legibus III, 7.
(3) V. Tusc. disput. I, 32.
(4) V. De Div. I, 36.
(5) Brut. 31.
(6) De Natura Deorum II, 12.
(7) Tuscul. disput. I, 17.
(8) Academic. I, II, 38.
(9) Tuscul. disput. I, 10.

§ II.

Hoc primum omnibus compertum esse reor ut libros de Republica et de Legibus Cicero Platonicorum operum quadam æmulatione composuerit; fere nihil aliud Pomponius : « Quoniam scriptum est a te » de optimo reipublicæ statu, consequens esse videtur ut scribas tu » idem de legibus : sic enim fecisse vides Platonem illum tuum, » quem tu admiraris, quem omnibus anteponis, quem maxime di- » ligis (1). » Quomodo autem Platonem postquam admiratus est et omnibus anteposuit non interdum sequatur? Quam Attice, quam Platonice Arpinatium procerissimas populos cum cupressetis Gnossiorum sermonemque novum cum illa veteri deambulatione Cliniæ ac Megilli, et se cum illo sene Atheniensi comparat! Ecquis, dum libros de Republica legit, Platonem Romæ revixissæ, Musarum eumdem sacerdotem, Cecropiæ terræ eumdem alumnum haud arbitretur? Mire Socrates adhuc per Scipionem loquitur, nec quidquam eloquentiæ suæ tempore perdidit.

Quod autem in Platonicis libris præcipuum, id in omni Ciceronis philosophia civili reperimus. Ambo scientiam morum ac reipublicæ, ut antea diximus, arctissimo vinculo consociant; ambo legem unam homini ac civitati impositam, ambo hominem exiguæ civitatis instar regendum esse existimant.

Thrasymachus enim initio Platonicorum de Republica librorum, ut Latine Philus, ita Græce justum esse definit quod validissimo cuique commodum est; is autem validissimus est, qui imperat. Socrates igitur adversus Thrasymachum invehitur, ac probat quod Tullius iterum atque iterum cecinit, neminem imperare nisi ut omnium utilitatibus inserviat, nedum quod imperanti placet id justitiæ consentaneum sit. Thrasymachus vero, Phili instar, magnum carmen de prosperis rebus injustorum hominum inchoat; quem Socrates ut refutet ostendit nullam societatem vel latronum, sublato justitiæ vinculo, copulari aut contineri posse. Nihil enim discordiarum fecundius injuria. Vix autem in hoc primo Platonis libro de Republica quidquam reperias quod modo vocibus mutatis pæne ad verbum in

(1) De Legibus, I, 5.

Romanos de Officiis aut de Republica libros Tullius non transtulerit.

Secundus autem liber a philosophico sermone orditur de natura justitiæ; nam ita Plato philosophiam moralem et civilem nectit ut quidquid de civitate disserit a morali disputatione pendeat. Scilicet in locum Thrasymachi Glauco venit, qui justitiam haud natura, sed necessitate quadam bonum esse profiteatur. Nempe leges doloribus et sceleribus exortæ sunt (1) : ne autem semper homines tum faciendis, tum accipiendis injuriis digladiarentur, pactione quadam oppressa cuncta siluere. Ergo existimanda justa sunt quæ sita sint in populorum institutis aut legibus (2). Detur homini justissimo licentia, detur infinita potestas : inclytum illum Gygem imitabitur (3), quod quidem exemplum luculenta oratione omnium oculis proponit. Inde scelestum, divitiis abundantem, opibus circumfluentem, justum hominem contra ostentat vexatum et spoliatum, cui nihil præter justitiam supersit, qui denique cædatur virgis et in crucem tollatur (4). Socratem igitur rogat Adimantus ut justitiæ naturam penitus introspiciat : cui Socrate respondente, ita demum de civitate loqui inceptum est.

Tota autem civitas animi instar ordinanda est. Καὶ δίκαιος ἄρα ἀνὴρ δικαίας πόλεως κατ' αὐτὸ τὸ τῆς δικαιοσύνης εἶδος οὐδὲν διοίσει, ἀλλ' ὅμοιος ἔσται (5) ; nihil aliud Cicero, cum eamdem virtutem uniuscujusque et singulorum, vel quod in singulis, id in populis esse profitetur. Nihil autem exquirit Plato nisi ut perpetua tanquam pictura civitatem cum homine conferat. Quid enim? tres in animo facultates numerat, rationem, iram, libidinem; tres in civitate collocat ordines, magistratus, milites, agricolas. Justa civitas est, cum ex tribus ordinibus suo quisque munere fungitur; justus animus, cum ex tribus illis facultatibus, suas quæque partes agit, id est, cum ratio imperat, ira dimicat, libido servit, imperant autem in civitate magistratus, dimicant milites, opifices agricolæque serviunt. Injustitia autem in homine discordia facultatum, in civitate ordinum discordia. Denique ut una simplexque virtus est, quatuor vero sunt genera vitiorum, sic una civitatis optimæ forma; pravæ quadruplex jure dicitur. Quare Socrates

(1) Cf. De Republica III, 10.
(2) Cf. De Legibus I, 14.
(3) Cf. De Republica III, 12. De Off. III, 9.
(4) Cf. III, 12. De Republica.
(5) Plato De Republica IV.

Glauconi et Adimanto denique respondet se quidquid ad virtutem et ad mores pertinet in speculo fideli civitatis investigare perinde ac si major et clarior effigies hic ante oculos obversetur (1).

Equidem scio morem hunc civitatis instituendæ temporibus nostris esse prætermissum : nemo fere inter Gallicos autores ita de legibus aut de hominum societate scripsit ut rem ab ovo repetendam esse duceret. Quanquam nescio an Gallici auctores erraverint, utpote qui scientiam prius decreverint absolvere quam fundamenta scientiæ posuissent. Hic legibus omnium populorum inhiat vel de Sinensium legibus disserit, præclarus in factis explicandis, mutus in fonte legum exquirendo : ille sic opus inchoat : « Homo liber natus est, servit ta- » men : hoc quomodo factum sit, ignoro ; quomodo legitimum sit, » explicari posse puto ; » scilicet homo totus investigatus est, neque quidquam in philosophia superest quod longius perscrutemur. Quæso, nosce quos regere velis ; ferventia cupiditatibus introspice pectora : quomodo aliter frenum adhibeas ? quid mens expetat intellige. Plato quidem sæpius « lusit amabiliter ; » sed viam veram invenerat qui, ut civitatem institueret, animum penitus explorabat.

Hac utriusque doctrinæ societate proposita, Plato concordiam ut animi sic reipublicæ primam legem esse docuit ; quod noster in primo de Republica libro canere non desinit : ἔχομεν οὖν τί μεῖζον κακὸν πόλει ἢ ἐκεῖνο ὃ ἂν αὐτὴν διαστῇ καὶ ποιῇ πολλὰς ἀντὶ μιᾶς (2) ; Scipionem audire videor : « Concordi populo... nihil firmius, » aut Lælium qui de republica disputari velit ut restituendæ concordiæ modus inveniatur, quod « et » fieri potest et permolestum est, nisi fit. » Idem animus, eadem vox ; Tullius enim præclare : « Ut si unumquodque membrum sensum hunc » haberet ut posse putaret se valere, si proximi membri valetudinem » ad se traduxisset, debilitari et interire totum corpus necesse esset ; » sic, si unusquisque nostrum... , » et cætera quæ jam huic opusculo inseruimus. Græce autem Plato civitatem cum homine contulerat, cujus si digitum vel levissime percusseris, corporea compages universa commoveatur.

Concordiam autem ut adipiscamur, civitas vinculo virtutis continetur necesse est (3). Platonem hic noster, Panætio comite, sequitur,

(1) Plato De Republica VIII.
(2) Plato De Republica V.
(3) Plato De Republica IV.

cum iisdem ex virtutibus honestum effici vidimus; Plato vero in hoc a Cicerone discrepat quod proprias virtutes quibusdam ordinibus exercendas dinumeret. Profecto σώφρονες omnes erunt : semper enim et ubique pars inferior animi superiori parere debet (1) : profecto justi omnes erunt quoniam τὸ αὐτου πράττειν καὶ μὴ πολυπραγμονεῖν δικαιοσύνη ἐστίν : est autem peculiaris magisiratuum virtus, prudentia seu veri cognitio; est militum ἀνδρεία seu magnitudo animi. Sunt in civitate virtutes quas eodem modo accedere non cuipiam licet! sunt plebeiæ virtutes ac patriciæ.

Nempe si quis Platonis civitatem introierit, se procul ab Europa deerravisse, et in nescio qua regione Orientis commorari existimet. Tres ordines in civitate, sed quales ordines reperimus! Non hic sunt Romani ordines, et patres plebeiique! Cicero modeste rogat ne plurimi plurimum valeant : animos Plato numerat ac dividit : sunt aurei, sunt argentei, sunt ænei; primis magistratus, secundis milites, tertiis agricolæ et opifices utuntur. Perfacile excogitari potest quam pia diligentique cura magistratuum ac militum filii suscipiantur et secernantur, ne forte metallorum confusio fiat (2). Hæccine in patria Solonis esse reperta! sed quœso, quid reperta sunt? Scilicet hic concordia quæsita est! et Plato, dum animos ac cives ita dividit, duo præcepta maxima quarto libro de Republica inscribit : unum, ut utilitatem civium sic tueantur ut quæcumque agunt ad eam referant, obliti commodorum suorum; alterum, ut totum corpus reipublicæ curent, ne, dum partem aliquam tueantur, reliquas deserant (3). Hic Plato se profitetur non militum, non cujusvis ordinis felicitatem exquirere; hoc unum expetit ut paupertas et opulentia pellantur : unam esse civitatem velit, et ostendit in quovis alio populo duas civitates esse factas, divitum alteram, alteram pauperum. Miram quidem restituendæ concordiæ viam, cum in tres partes populus secernitur et ex una civitate triplex efficitur! Quot et quanta tamen egregiæ divisionis istius retinendæ gratia exquirit! Militibus, ne civium cervicibus incumbant, dat promiscua prandia, dat promiscuas uxores, adimit jus agros possidendi : propria connubia, proprios agros cæteris mox adimit. Ubi noster? ubi fulmen in leges agrarias comparatum? Semper

(1) Cf. De Officiis I, 27.
(2) Plato De Republica III.
(3) Plato De Republica IV. V. De Off. I, 25.

autem Plato concordiam amplectitur; neque privata jam videt, sed, publica respiciens, hæret in obtutu longo civitatis unius, cui singulos immolat. Feminæ, domus, agri, fructus reipublicæ sunt : nihil cujusquam est. Incredibile quidem sommium, aureis pictum coloribus; sed idoneum potius ad evertendas urbes quam ad componendas! Mentis instar humanæ civitas est, inquis? Quid igitur de conjugis ac liberorum, quid de privatæ domus et agri privati amore? Hoccine est mentem humanam in majus provehere, hoccine ad effigiem mentis civitatem instituere? Non ita noster vitæ privatæ motum cohibet; non ita sanguine calido hinc illinc excurrente vitam omnibus membris infundi indignatur. Romani quidem obstupuissent, si hæc et talia, vigente adhuc decemvirali lege, quisquam apud eos cecinisset.

Scilicet quoties Tullius Platonem a veritate discedere credidit, Platoni veritatem lætus ac libens anteposuit; immo, quam professus erat, Platonis sententiam de civitatis ortu postea deseruit. Plato enim : Necessitas vitæ civitatem facit (1) : hæc vero Tullii meminimus : « Nec » verum est quod dicitur a quibusdam, propter necessitamen vitæ (2), » cæteraque, primo libro de Officiis inscripta. Ubi vox illa Platonis de civitate? Ποιήσει δὲ αὐτὴν ἡ ἡμετέρα χρεία (3).

Mire autem ambo consentiunt in bellis exsecrandis : Plato enim hanc civitatem unice diligit ubi modus votis, libidinibus frenum imponitur: cupidinum autem insano æstu sublato, bella quoque tolluntur. Sed quod ad bella pertinet, ut ne secum quidem concordem Tullium invenimus, armis cum propagatum imperium Romanum laudibus extulit; sic Plato, postquam bella detestatus est, en confestim ordinem militum segregat a cæteris, en militibus educandis se totum dedit!

Pulcherrima quidem educatio, pulcherrima et mente diviniori profecta ante oculos obvolvitur. Hanc noster repudiat, utpote qui privatam educationem publicæ anteponat, et, cum idem non deceat omnes, libertatem ante omnia desideret : sed quis excelsa præcepta, simul atque audiit, non admiratur? Ut Tullius in Tusculanis disputationibus, Plato mortis metum adimi jubet; dein suis amorem veri, temperantiam, abstinentiam, decoras ostendit virtutes, quas forti, quas invicto pectore accipiant. Fabulas igitur toto animo impugnat quibus

(1) Plato De Republica II.
(2) De Officiis, I, 44.
(3) Plato De Republica II.

alitur puerilia et corrumpitur; sparsa exempla in fabulis metuit ac maxime iras et discordias et scelera deorum; prohibet enim ne quidquam pravum ad optimum Deum referatur. Falsos, ebrios, avaros fabricas deos; quos homines habebis? Dic bonum esse deum; dic immutabilem, dic fontem æternæ veritatis. Pueri discant divine de Deo sentire! Poetæ vero, si quidquam de prosperis rebus injustorum, de piorum dolore ac fletu, sicut fieri solet, si quidquam denique huic educationi contrarium cecinerint, abeant, fugiant, exterminentur (1)! Non semel de poetarum exsilio Plato locutus est. Poetas enim meros imitatores esse queritur; nullus autem imitator plane intelligit quod imitatur, cum imitatio sit opus puerile plenumque nugis. Quam igitur periculosa, quam funesta mobilium, iracundorum, cæcorum animorum imitatio! Scilicet poeta nihil alloquitur præter cupiditates; cupiditates alit, fovet, incendit! Quid juvat ignem excitare, qui postea sit restinguendus? Ne unum quidem carmen audiet civitas præter hymnos deorum et clarorum virorum laudes (2)!

Jam de cœlo descendamus. Equidem haud ignoro nostrum ideo queri, non modo quia simul atque editi in lucem et suscepti sumus, in omni continuo gravitate et in summa opiniorum perversitate versamur, ut pæne cum lacte nutricis errorem suxisse videamur; sed quod accedunt etiam poetæ, qui cum magnam speciem doctrinæ sapientiæque præ se tulerunt, audiuntur, leguntur, ediscuntur, et inhærescunt penitus in mentibus (3): sed nescio an Archiæ poetæ patronus istiusmodi rogationem antiquavisset. Quid enim suppeditet nobis ubi et animus ex hoc forensi strepitu reficiatur et aures convicio defessæ conquiescant? ubi hæc aurea studia quæ delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur? « Atqui sic a summis hominibus eruditissimisque accepimus cætera- » rum rerum studia et doctrina et præceptis et arte constare; poetam » natura ipsa valere, et mentis viribus excitari, et quasi divino quo- » dam spiritu inflari.... Sit igitur, judices, sanctum apud vos.... hoc » poetæ nomen, quod nulla unquam barbaria violavit. Saxa et solitu- » dines voci respondent; bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur atque » consistunt : nos instituti rebus optimis non poetarum voce movea-

(1) Plato De Republica II, III.
(2) Plato De Republica X.
(3) Tuscul. disput. III, 1-2.

» mur » (1)? Coronabimus igitur Homerum : coronatum vero domi retinebimus.

Poesim ejicit Plato : sed quam pio studio musicam retinet ! Eam gymnasticæ et palæstricæ arti miscuit ; sed musicæ hanc, ut corpus animo, postponit. Cum autem musica regi animos arbitratur, musicam fingit ad arbitrium ; tollit unum ex tribus *modis*, certumque ῥυθμόν instituit : de quo noster præclare : « Assentior Platoni nihil tam » facile in animos teneros atque molles influere quam varios canendi » sonos : quorum dici vix potest quanta sit vis in utramque partem. » Namque et incitat languentes, et languefacit excitatos et tum re- » mittit animos, tum contrahit ; civitatumque hoc multarum in Græcia » interfuit antiquum vocum conservare modum : quarum mores lapsi » ad mollitiem pariter sunt immutati cum cantibus : aut hac dulce- » dine corruptelaque depravati, ut quidam putant, aut, cum severitas » eorum ob alia vitia cecidisset, tum fuit in auribus, animis mutatis, » etiam huic mutationi locus. » Sed an Romanus consul incredibilem hanc apud Græcos musicæ vim ac potestatem intelligere potuerit, incertum.

Militibus institutis, magistratus educentur necesse est. Cum autem cæteri homines in obscura spelunca jacent, neque quidquam aliud nisi veritatis umbram tenuem adspiciunt, viri quidam imperabunt, qui splendidam veritatem irretortis oculis intuentur. Hi descendent ad speluncam, et captivos ad lucem reducere tentabunt : neque enim sibi solum nati sunt (2), nec civitas ideo facta est ut pauci tantum veritate illuminentur. Sed quam excelsa, dii boni ! quam sublimis educatio dabitur ! *Mathematici* erunt, ut barbare loquar, et arithmetice et geometrice eruditi ; astrologiam et hanc artem qua sonorum compositio et concordia in cantu et fidibus ordinatur, penitus noscent : ita doctrinas vice singulas investigabunt ; deinde tres annos arti gymnasticæ dediti, doctrinas, non jam disseminatas, sed coactas in unum, accedent ; denique quinquennium dialecticæ impendent. Tunc quindecim annos omnibus domi militiæque muneribus expletis, digni erunt qui rempublicam regere incipiant (3).

Platonem philosophum audiimus ; nunc consulem philosophum au-

(1) Pro Archia, *passim*.
(2) V. De Officiis I, 7.
(3) Plato De Republica VII.

diamus. Scilicet hic primum virtutis omnem laudem in actione consistere ait, et metuit ne nimis magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles conferamus easdemque non necessarias (1) : neque igitur vituperat in astrologia C. Sulpicium, in geometria S. Pompeium eminuisse, sed veri studio a rebus gerendis abduci contra officium esse diligentissime profitetur. « Etenim cognitio contemplatioque naturæ manca quodam modo atque inchoata sit, si » nulla actio rerum consequatur (2). » Neque tamen ambo plane dissentiant, cum moderatorem suæ civitatis ad quotidianum usum rerum Plato XXXV annos natum descendere coegerit, imparem adhuc ædilitati, at certe dignissimum ut quæsturam impetraret : quanquam nescio an interdum a numeris aut ab astris contemplandis noster discipulum suum ad forum deduxerit. Risissent veteres Romani, si reipublicæ administrationem noster philosophis ita credidisset; jam fortasse subridebant, cum se philosophorum a scholis sic accinctum ad rempublicam capessendam exstitisse diceret : quanquam id non solum in philosophicis disputationibus, sed fortiter coram judicibus professus est : « Nam nisi multorum præceptis, ait,... mihi ab adolescentia suasissem nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem atque honestatem; in ea autem persequenda omnes cruciatus » corporis, omnia pericula mortis atque exsilii parvi esse ducenda : » nunquam me pro salute nostra in tot ac tantas dimicationes, atque » in hos profligatorum hominum quotidianos impetus objecissem (3). » Philosophus ergo dux erit, sed qualis philosophus! nam hæc semper Cicero meminit, primo de Republica libro inscripta : « Ergo ille civis, » qui id cogit omnes imperio legumque pœna, quod vix paucis persuadere oratione philosophi possunt, etiam his qui illa disputant, » ipsis est præferendus doctoribus (4). » Scilicet hujuscemodi philosophos « plures hæc tulit una civitas, » non omnino Platonis philosophorum similes, « sin autem minus sapientes, quoniam id nomen illi » tam restricte tenent, at certe summa laude dignos, quoniam sapientium præcepta et inventa coluerunt (5). » Nihil enim P. Scipione aut C. Lælio aut L. Philo perfectius cogitari posse arbitratur; nisi forte

(1) V. De Officiis I, 6.
(2) De Officiis I, 43.
(3) Pro Archia poeta, 6.
(4) De Republica I, 2.
(5) De Republica III, 3.

quemquam alium significet, cum eum qui « utrumque voluit et potuit, » id est, ut cum majorum institutis, tum doctrina se instrueret, ad » laudem omnia consecutum putat (1). »

Ostendit autem Plato, libro sexto de Republica, quid de philosophorum principatu senserit. Postquam enim in sophistas invectus doluit nusquam philosopho suas partes esse cognitas, philosophi quamdam admirabilem imaginem effingit. Sed philosophus, cum intellexerit et sibi et civitati frustra pereundum, viatoris instar, ingruente procella, pone quemdam tenuem murum abditi, quo a turbinibus pulveris et imbris defenditur, ita solus et in tuto cæteros homines scelere involutos adspicit, et se fortunatum æstimat, si puram et sanctam vitam his in terris egit, placidoque animo ac sereno, et pulcherrima spe demum e vita evolavit. Neque tamen huic otio sine desiderio se addixit (2). Unius autem civitatis, optimæ videlicet ac Platonicæ philosophus regimen accipiet (3).

Quo animo noster hæc impugnet jam antea diximus : nihil enim aliud aggreditur in proœmio librorum de Republica quam ut Platonem refutet ac dubitationem ad rempublicam adeundi penitus tollat (4), utpote qui se gravissimis tempestatibus ac pæne fulminibus ipsis obvium ferre civem optimum, conservandorum civium causa, profiteatur. Neque in hoc iterum multa verba faciemus; sed tantum isti philosopho rempublicam Platonis exspectanti, Romanum quemdam veterem in fœce Romuli et agere et loqui solitum opponemus : « M. » vero Catoni, homini ignoto et novo, quo omnes, qui iisdem rebus » studemus, quasi exemplari ad industriam virtutemque ducimur, » certe licuit Tusculi se in otio delectare, salubri et propinquo loco. » Sed homo demens, ut isti putant, cum cogeret eum necessitas » nulla, in his undis et tempestatibus ad summam senectutem maluit » jactari quam in illa tranquillitate atque otio jucundissime vi- » vere (5). »

Summam autem quietem ambo post vitam ostendunt. Est, est locus ubi milites splendide conquiescant (6). Idem magistratibus fortu-

(1) De Republica III, 12.
(2) Plat. De Republica VI.
(3) V. Plat. De Republica IX.
(4) V. Plat. De Republica I, 7.
(5) De Republica I, 1.
(6) Plat. De Republica V.

natas insulas pollicetur (1); idem denique « justum ac tenacem pro-» positi virum » pulcherrima spe immortalitatis, dum canit ultima verba, sublevat et erigit (2). Ilic noster, ut supra vidimus, se Platonis discipulum esse profitetur.

Quod autem ad formas reipublicæ dinumerandas, describendas, amplectendas pertinet, id totum a Platonicis libris de Republica abhorret. Ne unum quidem verbum in his libris de mixta et temperata nostra civitate reperimus. Hic enim summa doctrinæ in hunc modum exposita est : Λέγω... ὅτι εἷς μὲν οὗτος ὃν ἡμεῖς διεληλύθαμεν πολιτείας εἴη ἂν τρόπος, ἐπονομασθείη δ' ἂν καὶ διχῇ. Ἐγγενομένου μὲν γὰρ ἀνδρὸς ἑνὸς ἐν τοῖς ἄρχουσι διαφέροντος, βασιλεία ἂν ἀληθείη, πλείονων δὲ ἀριστοκρατία. Nihil ita Tullianæ reipublicæ absimile, nisi forte in hoc unum ambo consentiant ut civitatis populare genus nihili æstiment.

Ille autem Plato, cum idem esse in populis, idem in singulis arbitratus, unum esse optimum virum, unam optimam civitatem, quinque mentis atque civitatis corruptæ formas professus est, de corruptis animis et civitatibus simul ac de morum et rerumpublicarum conversione loquitur. Τιμοκρατίαν primum et τιμοκρατικὸν νεανίαν ostendit; sic enim ab optimo statu desciscere incipiunt : sapientissimo patre natum adolescentem agit in scenam, qui, cum nihil non patriis præceptis contrarium audit, videt, intelligit, medium quoddam iter inter sapientiam et insaniam, inter rationem et libidinem corripuit : item de civitate. Deinde ὀλιγαρχίαν aggreditur, τὴν ἀπὸ τιμημάτων... πολιτείαν, ἐν ᾗ οἱ μὲν πλούσιοι ἄρχουσι, πένησι δὲ οὐ μέτεστιν ἀρχῆς : quicumque enim honores et gloriam virtuti anteposuerunt, iidem mox honoribus divitias anteponant necesse est. Hic duobus maximis vitiis respublica quassatur; homines a censu æstimantur; duæ civitates, altera divitum, pauperum altera, in civitate factæ sunt; unde fit ut ægre bella fines defendere liceat, cum in multitudine armanda maximum sit periculum. En autem lugent multi, esuriunt multi; fit concursus in divites; δημοκρατία instituitur, qua nihil absurdius inveniri potest : hic omnibus omnia facere licet : sic avarum animum perflant repentino turbine cupiditates; servit ratio, nedum imperet; omnia disturbantur, jacent. Tunc fit illud quod apud Platonem noster luculente dictum ait et mire latino sermone expressit (3); nam hic Platonem iterum se-

(1) Plat. De Republica VII.
(2) Plat. De Republica X.
(3) De Republica I, 43.

quitur : ut ex nimia potentia principum interitum principum exoriri, Platone duce, arbitratus est, sic hunc nimis liberum populum ob libertatem servitute affici existimat. Ambo tyrannidem ex populari civitate gigni profitentur, ambo tribunum aliquem populi istius indomiti surrexisse in populum clamitant ; adest impurus, audax tyrannus, septus innumerabilibus pilis, omnem vim populi bello longinquo conterens, fanorum exspoliator, peregrinorum satellitum conductor, amplissimorum et honestissimorum civium parricidio pollutus (1) ; qui, quanquam figura est hominis, ait noster, morum tamen « immanite vastissimas vincit belluas (2). » Ut plebis tyrannidem portentosam, sic unius hominis impotentiam ambo pari odio insecuti sunt : cum autem rerumpublicarum conversiones haud diversissimas ostendissent, ambo quoque remedium quæsivere : id in libris de Republica repetit Plato, quo nulla civitas, ut opinor, curaretur ; noster in juncta moderateque permixta conformatione reipublicæ invenerat (3) : quod tamen nec ipse Plato prætermisit.

Duodecim de Legibus libros Plato composuerat, quos noster sæpe recordatus est, utpote qui civitatem alteram terrestri et Romanæ civitati propiorem hic adspiceret. Quid enim de isto consilio senserit quo Plato omnia prorsus velit « esse communia, ne quis civis pro» priam aut suam rem ullam queat dicere, » nemini dubium reor, cum ideo Scipio Læliusve Platonem Homero comitem ire jubet, « quem » redimitum coronis et delibutum unguentis emittit ex ea urbe quam » sibi ipse fingit (4). » Cicero tamen libros de Republica non semel secutus est : cum autem Plato tres reipublicæ formas absolvere decrevisset, unam quæ sola in mente sapientis exstaret, secundam quæ, si ad res humanas descenderis, optima jure dici posset, tertiam, ut videtur, quæ populo optime accommodaretur, hanc vero tertiam profecto nunquam in lucem edidit (5), nullo pacto fieri potuit quin Romanus ille consul secundæ formæ potius adhæserit. Nec mirum, si ea, quæ abest a Republica, permixtæ nostræ civitatis imago in libris de Legibus appareat.

Cum enim Argos et Messenam propter intemperantiam reipublicæ

(1) Plato De Republica VIII.
(2) De Republica II, 26.
(3) V. De Republica I, 45.
(4) Cf. De Republica II, 33.
(5) Plato De Legibus III.

Plato concidisse ostendit, paulo post de Lacædemoniorum civitate loqui cœpit. Quomodo Spartam servavere? quomodo erexere? Nempe senatores et ephori (1) facti sunt.

Quid enim si omnia hinc aut illinc proclivia sint? Obversantur oculis et regnum Persarum et popularis Atheniensium civitas. Scilicet morbo magno ista regna Orientis laborant: servorum patria nulla est. Athenæ quidem præclaris facinoribus jure superbiunt; neque tamen eæ sunt quæ pulcherrimum hoc civitatis itir absolutissime confecerint: Ἐλευθέρα τε ἔσται καὶ φίλη ἑαυτῇ καὶ νοῦν ἕξει (2).

Quod autem ad philosophiam moralem pertinet, prorsus idem Plato de Legibus, idem de Republica scripsit. Semper civitati philosophia præest; quis enim præter philosophum virtutis splendidam lucem sereno vultu contemplabitur? Nullo alio vitio civitas in tetrius periculum adducitur quam inscitia: hæc autem inscitia maxima est, si quis quod honestum sibi videtur oderit: quem Dii utinam a gubernaculo civitatis avertant! quomodo enim virtutis iter doceat? Scilicet ob virtutem colendam homines congregantur; ob virtutem docendam adolescentes educantur. Minos, cum leges conderet, non solum fortitudine, ut plerumque fit, verum etiam quatuor his virtutibus ex quibus summa virtus efficitur, rempublicam fulciebat. Cum autem in civitate fulcienda sæpe quatuor virtutum contentio fit et comparatio, « quem locum a Panætio prætermissum esse» noster queritur (3), Plato non prætermiserat: primas enim partes prudentiæ dedit, secundas moderationi, tertias justitiæ, reliquas fortitudini: longe alium, ut vidimus, Tullius ordinem sequebatur. Sed ambo ferme eadem de fortitudine: ea est vera fortitudo quæ adversus animi cupiditates instruitur. Stultum est in hunc modum ex præliis argumentari: Victoris optimæ, victi pes- » simæ leges »: optimæ sunt leges, cum singulæ singulis ex virtutibus pendent (4). Quoties igitur promulganda lex est, videndum est an hinc proficiscatur haud quidem divitiarum, sed cum valetudinis, tum virtutis potissimum incrementum (5). Immo lex inutilis erit, nisi quoddam concilium, quod divinum vocabitur, virtuti retinendæ et amplificandæ invigilet: quod quidem moralis philosophiæ et religionis et

(1) V. Plato De Legibus XII.
(2) Plato De Legibus III.
(3) V. De Officiis, I, 43.
(4) Plato De Legibus I.
(5) Plato De Legibus V.

musicæ ac logicæ artis scientia reliquam civitatem longe superabit (1) : hoc duce, ὁμοίωσιν τῷ Θεῷ cives toto pectore conquirent, hoc est, secundum legem suam, quantum in imperfectam naturam cadit, supremum virtutis exemplar æmulari ardebunt (2). Ergo Deos primum venerabere, deinde mentem tuam ; is autem mentem suam veneratur qui bonum colit, demum corpus suum, templum animi. Quod autem *externum* est, primum patriam, dein amicos, cives, alienigenas venerabere (3); duplex ille labor erit, alter, ut omnes virtute certent, alter, ut virtutem in immensum propagent : quod noster sapientis præcipuum munus esse docet. Hujuscemodi vero virtutem sequatur beata vita necesse est (4) ; et scimus reipublicæ moderatori beatam civium vitam esse propositam.

Cum autem nullo pacto fieri potest ut virtutem simul ac divitias retineamus, nam divitiis concordia labefactatur (5), in urbe nostra condenda solam virtutem intueamur oportet. Nihil ferme de suæ Romæ situ noster dixit in secundo libro de Republica quod non a Platonis gremio defluxerit. Jam antea Plato maritimas in urbes invectus erat; varium, multiplex, mutabile morum genus incusabat; mercandi et lucrandi libidinem idoneam ad urbes evertendas ostendebat, Athenarum opes maritimas vituperabat, immo timebat ne Cliniæ civitas in fertili solo collocaretur, unde multa exportari solent (6). Dein, quod Cicero non invitus prætermisit, de numero civium verba fecerat : quem quidem ex latitudine soli et vicinarum urbium magnitudine æstimandum ratus, nihilominus angustis finibus comprehendebat, utpote qui quinque millia civium in urbe sua concluderet : legumlatori cavendum erat ne in alterutram partem incolarum numerus immutaretur (7). Eadem ferme nostris diebus, paupertatis abolendæ causa, recantata sunt ! Neque tamen virtuti civium ac beatæ vitæ multum obesse credam si, libere, Deo teste, gens humana propagetur. Hic enim umbram et imaginem civitatis, non civitatem quæ posset esse, exstructam a Platone noster querebatur (8).

(1) Plato De Legibus XII.
(2) Plato De Legibus IV.
(3) Cf. De officiis, *passim*.
(4) Plato De Legibus V.
(5) Plato De Legibus V.
(6) Plato De Legibus IV.
(7) Plato De Legibus V.
(8) De Republica II, 30.

Cur autem magistratus creantur et leges feruntur? Lex virtutis vox : magistratus virtutis doctor. Inde fit ut lex una, eadem, diffusa in omnes, imperet, cum nihil sit aliud civitas quam juris societas. Nec modo legumlator lege, verum etiam præceptis ad suadendum idoneis, quæ laudanda sint aut vituperanda suos edoceat (1). Nec ipsam legem sic ostendat : Hic sita vis; hic lex erit. Dolet Plato pœnas esse sanciendas; pœnam tamen ad reipublicæ utilitatem referri (2) non ignorat; exemplo civitatem emendabit (3). Populum autem longe alia vi lex reget; lenocinio virtutis ad bonum alliciet : quid enim legis naturæ magis consentaneam, cum ὁ λογισμὸς γενόμενος δόγμα πόλεως κοινὸν νόμος ἐπωνόμασται? Legis igitur erit προοίμιον. Priusquam lex imperet, legumlator suadebit ac docebit; quod noster valde probat. « Ut » vir doctissimus fecit Plato, ait, id mihi credo esse faciendum ut, » priusquam legem recitem, de ejus legis laude dicam. » Quem imitatus Cicero videlicet hoc quoque legis putavit esse, persuadere aliquid, non omnia vi ac minis cogere (4). Sed legem ferri non satis est : opus est magistratibus (5) : magistratibus autem lex imperat (6) : quos Plato τοῖς νόμοις ὑπηρέτας appellat (7); populo magistratus imperant. Nihil enim hoc imperio sanctius aut divinius : patres præsunt liberis, optimates ignobilibus, seniores junioribus, domini famulis, strenui imbecillis, stultis philosophi : quid ad jus conditionemque naturæ tam aptum est (8)?

Sed hæc legis, hæc magistratuum vis erit ut vel in his novissimis libris uniuscujusque privatam vitam motu libero explicari non sinat : libertatem Plato semper metuit semperque premit. Philosophus controversias de philosophia silere jubet! Hæc enim pœne ad verbum expressimus : « Pœnam fere maximam intentarem, si quis asse- » ret esse quandoque homines pravos qui jucunde vivant, vel aliam « esse justitiam, aliam utilitatem (9). » Si quis autem hanc molestam

(1) Plato De Legibus VII.
(2) Cf. De Officiis I, 26.
(3) Plato De Legibus IX.
(4) De Legibus II, 6.
(5) Plato de Legibus III.
(6) De Legibus III, 1.
(7) Plato De Legibus IV.
(8) De Legibus III, 1.
(9) Plato De Legibus II.

circa res minutissimas indagationem, Romanis ignotam, perspicere velit, sciat hæc de vino, bellicosissimi prophetæ instar, Platonem edixisse : servos, milites in castris, magistratus, judices, navarchos, senatores ab usu vini, immo cives universos ab usu vini diurno prohebit. Neque tamen sapientissimus ille Plato diutius Homeros exsulare patitur : sed quadam severitate redeuntes excipit, et licentiam omne ope coercet (1). Noster quoque comœdiarum pericula, sed potius imitatione Platonis quam Plautinorum carminum metu meminit : hæc loquitur : « Populo quas obducunt tenebras ? quos invehunt metus ? » quas inflammant cupiditates (2)? » Sed Roma tota in Circensibus. Noster igitur in comœdiam Græcorum invehitur, et, ut supra vidimus, liberioribus poetis, fretus XII tabulis, haud parcendum existimat.

Mansuevit tamen ille Plato, neque solum in poetarum exsiliis oblitus ferrea jura librorum de Republica est. Scilicet peculiare dominium restituit, dummodo, ut ait, civis unusquisque reputet eam partem quam sortitus est non minus civitatis esse quam sui : privatum autem jus angustis finibus coarctat : prohibet ne quis sorte descriptas partes vendat ematve (3) ; prohibet ne quis pauciores agros, aut in quadruplum continuatos possideat. Latifundia non perdent istiusmodi civitatem. Nummos quoque fabricari sinit, sed eos quibus nullus Græciæ populus utatur. Tollit istos ordines ex animarum vilitate aut pretio separatos : neque noster e censu descriptos ordines recuset ; quatuor, ut ita dicam, centuriarum classes instituit Plato. Juris enim æquabilitatem alii aliter amplexantur : « perfecta vere et vera æqua» bilitas ab uno Jove ordinatur, et perraro versatur in terrestribus » hominum conciliis ; sed ea est denique quæ honores, opes, impe» rium ex virtute tribuat et rationi convenienter dispertiat (4). » « Cum enim par habetur honos summis et infimis.... necesse est ipsa » æquitas iniquissima sit (5). »

Tullius, in primo de Officiis libro, diversos hominum labores vice considerat : summas partes dedit agriculturæ, ut supra vidimus : « Nihil melius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius » ; in pro-

(1) Plato De Legibus II.
(2) De Republica IV, 9.
(3) Plato De Legibus V.
(4) V. Plat. De Legibus V, VI.
(5) De Republica I, 34.

ximo gradu collocat eas artes quibus aut « prudentia major inest aut » non mediocris quæritur », ut medicinam, ut architecturam. Hæc deinde de mercatura : « Si tenuis, sordida, si magna et copiosa, non » admodum vituperanda... » « sordidi etiam, qui mercantur a mer- » catoribus, quod statim vendant. Nihil enim proficiunt, nisi admo- » dum mentiantur... Opificesque omnes in sordida arte versantur. » Nec enim quidquam ingenuum potest habere officina. » Vehemen- tius autem « improbantur ii quæstus qui in odia hominum incurrunt, » ut portitorum, ut fœneratorum » ; et denique « minime artes eæ » probandæ sunt quæ ministræ sunt voluptatum (1). »

Non longe aliter Plato, sævior licet et in libertatem privatam aspe- rior, artes eas numerat ac dijudicat. Agriculturam, quam extenuabat in libris de Republica, hic laudat, hic, odio maritimarum urbium, innumerabilibus legibus confirmat : nec modo mercaturam, ut nos- ter, improbat, sed enecat. Nemo inter cives eas artes quæ fabrili ex artificio constant exercebit (2); nemo cum mercibus ambulabit, nemo cauponæ præerit; qui non parebit in carcerem mittatur (3). Hic, ut sæpius fit, Platonis opiniones noster secutus est, sed ita secutus est ut temperamento quodam mitigatas mutaverit, et ad usum quotidia- narum rerum accommodaverit.

Nunquam autem gravioribus vinculis privata libertas quam in edu- candis liberis constricta est. Meminimus acerrima quadam indigna- tione nostrum in Græcorum educationem invehi : « Juventutis vero » exercitatio quam absurda in gymnasiis! quam levis ephebornm illa » militia! quam contrectationes et amores soluti et liberi! » Quæ ta- men ira nescio an jure placetur, si veniamus ad libros de Legibus qui mire publicam educationem ordinaverunt. « Educatio disciplina est » qua ab incunabulis ad virtutem informamur (4). » Ecquid aliud Ci- cero? Plato quoque : « Ea est optima educatio quæ in corpore et ani- » mo omnem vim et virtutem et pulchritudinem absolvit (5). » Liberis igitur, vel apud nutrices, consulit : qui, tres annos nati, usque ad sextum amum ludent, a duodecim mulieribus custoditi. Deinde in gymnasiis exercitari incipient, choreisque et cantibus operam dare,

(1) De Officiis I, 42.
(2) V. Plat. De Legibus VIII.
(3) V. Plat. De Legibus XI.
(4) Plato De Legibus I.
(5) Plato De Legibus VII.

dummodo Deûm honore cantus et chori consecrentur. Litteras postea discent, tix decem annos nati : tribus annis elapsis, ad musicam et gymnasticam artem accedent ; arithmetica, denique geometria et astrologia publicæ huic educationi terminus imponetur (1). Pulchra quidem si libere fiant ! Sed nemo hanc educationem effugere poterit, nemo jugum excutere ! Quid juvat invitos educare? quid juvat eadem doctrina diversissimas mentes tyrannice defatigare? Cui nescio an hæc anteponam ex veteris Romanæ reipublicæ disciplina a divino artifice depicta : « Jam primum suus cuique filius, ex casta parente » natus, non in cella emptæ nutricis, sed gremio ac sinu matris edu» cabatur ; cujus præcipua laus erat tueri domum et inservire liberis. » Eligebatur autem aliqua major natu propinqua, cujus probatis » spectatisque moribus omnis ejusdem familiæ soboles committeretur, » coram qua neque dicere fas erat quod turpe dictu, neque facere » quod inhonestum factu videretur. Ac non studia modo curasque, » sed remissiones etiam lususque puerorum sanctitate quadam ac » verecundia temperabat.... quæ disciplina ac severitas eo pertinebat » ut sincera et integra, et nullis pravitatibus detorta uniuscujusque » natura toto statim pectore arriperet artes honestas (2). » Hæc non Cicero, sed Messala, Ciceronis discipulus, ac magistro non infitianda.

Omnis autem educatio religionis vinculo continetur (3). Religio enim semper exstet emineatque necesse est ; ea vi perpetua nos exstimulat, agit, impellit, quoniam omni religionum apparatu doctrinaque sacrisque societas humana fulta est. Procemio sacræ legis Plato, magno flumine eloquentiæ invehitur in eos qui negant Deos esse, vel qui præesse rebus humanis non censent, vel quorum vana superstitio divinam iram donis placari posse existimat. Vides hunc admirabilem ordinem rerum, o dilecte puer ! vides hoc totius mundi, hoc animarum et corporum cœleste regimen ! Tuque, parvulus licet, in magno rerum motu certum locum et stationem tuam sortitus es. Tu mundo factus es, non tibi mundus. Legem autem suam ineluctabili potestate Dii mortalibus imposuere : nemo, nemo unquam Deos vincere poterit, nemo sortes mutare, nemo sacrosanctum munus repudiare, nemo rerum ordinem æterna veneratione prosequendum

(1) V. Plat. De Legibus VII,
(2) Dialog. de Oratoribus, 28.
(3) Plato De Legibus X.

indocili dementia perturbare. Deos non effugias, vel si tam ad nihilum redactus sis ut lateas terrarum visceribus, vel si in hunc modum creveris ut fronte sublimi cœlum ferias. Tu vero cave ne iram et pœnam exsuscites ; sed disce Deos immortales omni ope imitari, quoniam in pectoribus Deorum virtutum domus exstructa est (1).

Hæc et talia noster in procemio sacræ legis iterabat, etsi Quintus frater nihil tam Platonis dissimile quam hoc ipsum istius legis exordium invenerit. Marcus quidem : « Sententias interpretari perfacile » est. Quod quidem ego facerem, nisi plane esse vellem meus (2) » Dum autem vult esse suus, nescio quo pacto fit ut omnino Platonicus permaneat : quanquam Plato grande carmen tentavit terrestrique luto divinius evolare et cœlo propius accedere visus est. Quid autem infra ? *Impius ne audeto placare donis iram Deorum.* « Donis impii » ne placare audiant Deos, Platonem audiant ; qui vetat dubitare qua » sit mente futurus Deus, cum vir nemo bonus ab improbo se donari » velit (3). » *Ne quis agrum consecrato.* « Agri autem ne consecren- » tur, Platoni prorsus assentior. » *Auri, argenti, eboris sacrandi modus esto.* « Plato, si modo interpretari potuero, his fere verbis uti- » tur : Aurum autem et argentum in urbibus et privatim et in fanis » invidiosa res est. Tum ebur ex inani corpore extractum, haud » satis castum donum Deo (4). » Postquam autem de sepulcris noster locutus est : « Habemus igitur hujus quoque auctoritatem de se- » pulcris summi viri : a quo item funerum sumptus præfinitur ex » censibus, a minis quinque usque ad minam. Deinceps dicit eadem illa » de immortalitate animorum et reliqua post mortem tranquillitate » bonorum, pœnis impiorum (5). » Cum autem ambo eadem in pro- œmiis de piorum et impiorum fato ac de mundi temperatione senserint, parum video quid restet ut de religionibus eadem fere (pace Quinti et Marci dicam), locuti sint.

Metuit autem Plato ne ista religio alienigenarum contactu violetur : nulla enim ante Christum religio gentium claustra rumpere et generis humani communione diversitatem linguarum ac populorum abo-

(1) V. Plat. De Legibus X.
(2) De Legibus II, 7.
(3) De Legibus II, 16.
(4) De Legibus II, 18.
(5) De Legibus II, 27.

lere solita est. Neque tamen, velut in libris de Republica, peregrinos e civitate sua « Graius homo » exclusit: sed, ut plerumque, civitas hæc posterior medium quoddam iter inter priorem Platonis rempublicam et urbem Tullii Romam secuta est.... Noster, ut videtur, peregrinis omnia jura concedit, præter ea quæ ad rempublicam constituendam pertinent: quin etiam aliunde juvenile semen probat infundi populo, quod Romanum est: hæc autem in libris de Legibus Plato: Nemo ex peregrinis ultra XX annos in civitate commorabitur; si quis tamen in rempublicam officia multa contulerit, usque ad mortem manere poterit. Liberis peregrinorum, post quintum decimum annum, XX annorum hospitium conceditur: deinde proficiscentur, nisi populus hospitium continuet (1). Idem civium peregrinationes aut tollit aut omni ope coercet (2). Constituit enim eam civitatem, vel in libris de Legibus, quæ si mille annos duraverit, semper idem spectaculum orbi terrarum præbere non desinat. Quam ita velit unam esse ut muro quodam aheneo muniat, perinde ac si tantum procellas e vicinis regionibus venti afferant: ita velit unam esse ut servitutem diversitati, ut immobile ac letale otium *progressionibus*, ut aiunt, et secundis cursibus anteposuerit. Inde fit ut cum humana gens, secundum legem, quasdam virtutis partes apud se magis ac magis in dies absolvit, nostra civitas se vasto illo flumine alluí non sinat et ita inchoato itinere inscia deflexerit.

§ III.

Si quis autem ad Aristotelem se contulerit, hoc primum animadvertet: Τὸ ἧττον ἐν τοῦ μᾶλλον αἱρετώτερον (3). Vix quidquam Platonicæ doctrinæ absimilius inveneris. Quid autem? nonne hic aliud apud Platonem in lingua promptum, aliud re constitutum est? Docent ordines in libris de Republica constituti, docet mixtæ ac temperatæ conformatio reipublicæ quæ jam in libris de Legibus apparuit. Plato tamen: Τὸ κοινὸν ξυνδεῖ, τὸ δὲ ἴδιον διαπᾶ τὰς πόλεις. Aristoteles igitur summa sapientia hanc Platonicæ doctrinæ columnam evertit. Si quis unam civitatem habere plus æquo velit, civilis societas absit necesse est. Ex

(1) Plato de Legibus VIII.
(2) Plato de Legibus XII.
(3) Arist. Polit. II, 1.

civitate familia, ex familia vir unus efficeretur : ergo vel si possemus in hunc modum unam habere civitatem, jure nollemus; nolumus enim societatem civilem quæ non modo multis ex personis, verum etiam diversissimis, constat, subvertere (1). Quod mire noster explicuit, et ostendit : « Ut in fidibus ac tibiis atque cantu ipso ac vo-» cibus, concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem » immutatum ac discrepantem aures eruditæ ferre non possunt, isque » concentus ex difficillimarum vocum moderatione concors tamen » efficitur et congruens : sic ex summis et infimis et mediis inter-» jectis ordinibus, ut sonis, moderata ratione civitas consensu dissi-» millimorum concinit; et quæ harmonia a musicis dicitur in cantu, » ea est in civitate concordia (2). »

Hic autem dicet aliquis : « Quomodo Ciceronem et Aristotelem con-» ferre sustineas? Nullam enim mentionem Aristotelicorum librorum » de Republica Tullius usquam fecit. » Mira quidem et ferme incredibilia semper de Aristotele excogitata sunt. Omitto quæ vel nostris temporibus scribuntur de illa sententia : ***Nihil est in intellectu quod non fuerit in sensu*** : sed quo pacto fieri potest ut quidam philosophus in Aristotelica civitate omnia contineri utilitate existimaverit, cum dixerit Aristoteles : Τὸ δὲ ζητεῖν πανταχοῦ τὸ χρήσιμον, ἥκιστα ἁρμόττει τοῖς μεγαλοψύχοις καὶ τοῖς ἐλευθέροις? quo pacto fit ut philosophus alter naturalem hominum conjunctionem et societatem nusquam ab Aristotele perspectam esse contenderit (3), cum divine de hac societate locutus sit Aristoteles? nisi forte quod noster Trebatii temporibus, id apud æquales quoque merito recantemus. « Minime sum admiratus eum philosophum rhe-» tori non esse cognitum, qui ab ipsis philosophis, præter admodum » paucos, ignoretur. » Ego vero, fremant quidam licet, nescio an sæpius Aristotelis illius vestigiis quam Platonis Tullius institerit. Quod ut probem, pedetentim Aristotelis libros de Republica sequar necesse est.

Cum omnem civitatem societatem quamdam esse videamus....; sic enim opus inchoatum est, cum vel apud Aristotelem nihil aliud sit civitas quam juris societas; sed quomodo hæc societas informata sit

(1) Arist. Polit. II, 2.

(2) De Republica II, 42.

(3) Smellie. — The philosophy of natural History. — Some writers, as Aristotle and a few moderns, implicit followers of his opinions, deny that man is naturally a gregarious or associating animal.

liquet. Hic, ut in tertio de Finibus libro, civitas a maris et feminæ conjunctione repetitur : consanguinitatibus enim humanæ societatis prima fundamenta instituta sunt (1). Inde ἡ κώμη ἀποικία οἰκίας effi-citur : tunc paterfamilias liberos et liberorum conjuges habet in potestate ; sic enim omnes antiquæ gentes regibus quondam paruerunt 2) ; unde fit ut Dii regnare dicantur : haud aliter Scipio noster a Jove putat incipiendum quem unum omnium deorum et hominum regem esse omnes consentiunt (3). Κώμη autem ex familiis, κωμῶν societate civitas copulata est : hujus moderatori beata civium vita proponitur (4). Γενομένη οὖν τοῦ ζῆν ἕνεκεν, οὖσα δὲ τοῦ εὖ ζῆν civitas a Deo statutum iter ingreditur, hoc est, ad bene beateque vivendum instruitur.

Nihil igitur magis naturæ consentaneum est, nihil illi principi Deo acceptius quam concilia cœtusque hominum jure sociati : ἄνθρωπος enim πολιτικὸν ζῶον (5). Hæc est hominum propria vis, hoc peculiare ingenium, cum admirabilem usum vocis humanæ, societatis vinculum, divinitus acceperint (6). Civitas e civibus ut corpus e membris efficitur : a qua si qua pars erit separata, nihil per se valeat necesse est (7). Si quem igitur inveneris qui cæteris non indigeat, ἢ θηρίον ἢ θεός erit. Inde fit ut nati ad societatem homines cæteris animalibus antecellant, dummodo justitiam colant (8).

Si quis autem reipublicæ constitutionem investigare velit, familiam primum unde civitas orta est penitus introspiciat. Hic autem nemo dubitet quid de unius imperio sentiat, cum animis hominum, ne libidinibus et iræ sit locus, consilium (ea est enim animi pars optima) dominetur necesse est (9). Triplici enim patris et domini maritique potestate familia subnixa est. Regia autem potestas ad imaginem patriæ potestatis expressa est, cum « occurrat nomen quasi pa-» trium regis, ut ex se natis, ita consulentis suis civibus (10). »

(1) Cf. De Officiis I, III, passim.
(2) De Legibus III, 2.
(3) De Republica I, 36.
(4) e Republica V, 6.
(5) Cf. De Republica I, 26.
(6) Cf. De Oratore, De Inventione.
(7) Cf. De Officiis III, 5.
(8) Cf. De Officiis, I, passim.
(9) De Republica I, 38. — Arist. Polit. I, 2.
(10) De Republica I, 35. — Arist. Polit. I, 4.

Nemo, ut opinor, sic inter Græcos firmam et stabilem illam institutionem familiæ Romanæ præoccupaverat; nemo magis consentaneam duodecim tabulis in civitate condenda legem edixerat. Artstoteles arctissimo vinculo familiam copulat, singularique diligentia vinciendam et propriis legibus confirmandam arbitratur, uptote qui hinc virtutem, hinc beatam civitatis vitam exoriri existimet. Mire igitur de scientia rei domesticæ dum loquitur, breviter patremfamilias docet quomodo domum amplificet et opes augeat; nec infitianda Ciceroni de rusticis laboribus et de mercandi consuetudine verba facit. Diligentius autem familiæ disciplinam ac mores informemus quam opes adquiramus necesse est. Quomodo enim, neglectis partibus, universam rempublicam ad finem impositum deducere liceat (1)?

Aristoteles igitur, cum diversas urbium constitutiones dijudicat, toto animo Platonicos de Republica libros impugnare cœpit, ubi tota familiæ ratio evertitur. Sunt enim affectus intimo mortalium pectori a Deo ingenerati, sunt natura duce vincula constricta quæ nullis philosophorum somniis dissolvantur. Quid enim? Amorem Plato concordiæ principium et fontem esse arbitratur : amor autem rivuli instar est in Oceanum abeuntis, cum filius patrem, pater filum agnoscere nequeunt. Is enim suos amat qui proprios et amore dignos habet, quod nullo pacto in istiusmodi republica fieri potest. Necnon Aristoteles, ut videtur, Platonem delibutum unguentis civitate libens dimittat. Quam enim tempus edax in Tullianis de Republica libris de bonorum communione refutationem nobis eripuit, in libris Aristotelicis non invidet. Nihil in usu difficilius, nihil discordiarum fœcunduis fœda ista communione, nihil ita contrarium hominis naturæ. Nam vix quidquam satis dignum de commodis hujus proprii dominii dici potest (2). Vituperat igitur Phaleam qui bona velit æquari; satius est enim cupiditates quam fortunas æquari (3) : Aristotelicum quidem ex eo loco depromptum haud immerito legi cuidam Romanæ procemium inseratur.

Si quis autem Aristotelica de cæteris urbibus judicia perspexerit, hic primum enucleatam et vere in lucem editam temperatam hanc rempublicam inveniet. *Quidam dicunt optimam civitatem omnibus for-*

(1) Arist. Polit. I.
(2) V. Arist. Polit. II, 1-2.
(3) Arist. Polit. II, 4.

mis reipublicæ esse compositam, dixit Aristoteles, Platonicos de Legibus libros fortasse significans; etenim ἡ ἐκ πλειόνων συγκειμένη πολιτεία βελτίων (1). Socrates autem hanc maximam legem, postquam tulit, oblitus est, et vim ac potestatem regiam ita neglexit ut optimatibus summam rerum commiserit (2). Carthago cæteras urbes ideo superat quia nusquam alias ita mixta reipublicæ conformatio perfecta est (3). Sparta quidem in hoc vituperanda est quod nihil præter eam magnitudinem animi quæ ad bellicas res pertinet, spectaverit (quæ sit autem vera fortitudo noster nos edocet); vel quod ærario semper caruerit et inopia publice vexata sit; juncta vero moderateque permixta forma reipublicæ stetit ac viguit.

Alteri autem suæ civitatis columnæ noster invigilat; quam ne plebs injurioso pede proruat, extimescit, morem dico majorum. Sciebat enim corruptissimam rempublicam plurimis legibus invadi commoverique. Sic Aristoteles, licet interdum multa jure mutari fateatur, impugnat eos novarum rerum captatores qui, ut quamdam ædificii particulam in melius mutent, totam compagem dissolvere non dubitant. *Lex enim nullam vim ad persuadendum habet, nisi ex consuetudine : consuetudinem autem tempus facit : unde fit ut legum commutationes omnem vim legum evertant* (4). Nihil sapientius de legum auctoritate dictum est, vel apud Romanos.

Si quis autem civitatem novisse velit, civem definiat et civis munera describat necesse est. Sunt publicæ virtutes a privatis virtutibus separatæ, quamvis inter se multis modis consonent. Optimus autem civis et imperare sciet et parere : immo nemo erit qui bene imperet, nisi antea parere didicerit (5) : quanquam imperatoris virtus est proprio nomine φρόνησις appellata. Cum autem virtus ac beata civitatis vita spectatur, quidam a civilibus muneribus arcendi sunt, utpote qui civiles virtutes « curvis ad terras animis » arripere non possint. Εἰ δὲ βελτίστη πόλις οὐ ποιήσει βάναυσον πολίτην .. Noster his potius quamdam juris partem quam omnia jura civium adimit; neque tamen ita procul ab Aristotele secernendus est qui civem eum tantummodo putat esse cui aditus ad judicia et publica munera patet. Sed ut noster, dum

(1) Cf. De Republica I, 45.
(2) Arist. Polit. II, 2.
(3) Arist. Polit. II, 8.
(4) Arist. Polit. II, 5.
(5) De Legibus III, 2.

plurimos plurimum valere vetat, sic Aristoteles hanc juris iniquitatem summo bono civitatis fulcit ac tuetur, nedum hic quamdam legem imperantium gratia repertam defendere se putet (1). Quanta vero diligentia, postquam in opifices desæviit, popularem vim ac potestatem in majus provehere studet! Exiguum enim censum a civibus petit; sed eis, dum interrogat τί δεῖ τὸ κύριον εἶναι τῆς πόλεως, omnem judiciorum auctoritatem et jus magistratus eligendi committit. Scilicet hic incredibili quadam prudentia modus in rebus servandus est: hanc enim opinionem vulgi Aristoteles haud improbat ἴσον τι τὸ δίκαιόν εἶναι : hoc autem magnopere notandum est quod Aristoteles, Plato, Tullius illam juris æquitatem repudient, quæ in ponderibus aut mensuris dinumerandis emineat : magna vero libertatis, census, virtutis, justitiæ, nobilitatis ratio servanda est : hoc enim valet ad constituendam rempublicam, καὶ ἐξ ὧν πόλις συνέστηκεν, ἐν τούτοις ἀναγκαῖον ποιεῖσθαι τὴν ἀμφισβήτησιν. Sic, electis magistratibus, lex denique suprema rerum domina præerit; etenim lex præesse debet (2).

Sed quibus administrationem reipublicæ deferamus? Sunt enim tres rerumpublicarum formæ simplices ac nondum corruptæ, regnum ubi vir unus, optimatium civitas ubi pauciores, populare denique civitatis genus ubi plurimi πρὸς τὸ κοινῇ συμφέρον imperant, tres formæ corruptæ ubi vir unus pro se, pro divitibus optimates, plurimi pro pauperibus rempublicam regunt (3). Cum autem inter simplices formas regia vis ac potestas divinum quiddam habet et cæteras longe superat, necesse est maxime tyrannus obsit reipublicæ; Scipio, Platonis instar, nihil esse tetrius quam populare civitatis genus corruptum existimat. Noster autem, dum inter simplices formas, regiam cæteris antecellere putat, hanc omni ope lacessit et permixta sua civitate excludit : Aristoteles contra diligenssima cura sex regni formas enumerat et judicat. Quod ad regnum infinita potestate fultum pertinet, mavult optimas leges quam optimum regem imperare (4). Sed si forte virum quem reperire est ingenio, prudentia, magnitudine animi præstantissimum, fiat ad eum concursus, illi regnum deferatur, respublica tota penes eum sit : sed ecquando vir optimus occurrat? noster fortasse roget.

(1) Cf. Arist. Polit. III, 2-4.
(2) Arist. Polit. III, 6, 7. Cf. De Legibus I, passim, III, 1.
(3) Cf. De Republica I, 36-37.
(4) Arist. Polit. III, 9-11. Cf. De Legibus I, 12, III, 1. Cf. De Republica I, 26, 28.

Hoc autem in quæstionem venit utrum sponte sua civilibus undis immisceri an philosophorum speculationi se dare debeant qui sese idoneos ad capessendam rempublicam intelligunt. Aristoteles utriusque viæ pericula commodaque ostendit, neque tamen alterutram eligit : qua mente, qua voce noster elegisset supra vidimus. Aristoteles tantum has leges edixit, alteram ne quis ad honores vi grassaretur aut injuria, alteram ut ad insignem virtutibus virum, si forte occasio se dedisset, imperium deferretur.

Sic enim quoque virtus eminet in republica. Nam quoties περὶ πολιτείας ἀρίστης disceptatur, quem ad finem vita spectet antea quærendum ; nemini autem dubium est quin ad beatam vitam humana fata referantur. Nullo igitur pacto fieri potest ut non eadem sit ornatissima virtutibus, eadem civitas beatissima (1). Etenim « virtute guber- » nante rempublicam quid potest esse præclarius (2, ? » Scilicet in hoc consentiebant, ut philosophiam moralem cum doctrina civili arctissime conjungerent, tres summi viri, Tullius, Aristoteles, Plato ; neque civitatem, nisi virtutis auxilio ductuque conditam et crescentem, animo conceperant.

Inde fit ut multa de situ suæ civitatis, quæ jam antea Plato dixerat, edoceat Aristoteles : neque tamen populum, magistri instar, intra fines angustos comprehendit ; civitatem vero neque nimis vastam nec ita tenuem esse velit, et civium numerum ex regionis amplitudine metitur. Dein urbem in loco munitissimo collocat ne repente ab hostibus deprehendatur : bellum enim, ut injustissimum et teterrimum, cum regna subigendi vastandique causa susceptum est, sic justum, quoties vi vis repellitur (3). Urbes vero maritimas Aristoteles non ita vituperat, quanquam hic multa violari ac fœdari peregrinorum contactu fatetur : hinc multa de situ suæ Romæ noster, ut videtur, in libros de Republica transtulit, licet ***Platonice*** maritimas in urbes invehatur (4). Romæ vero, sicut Aristoteles optimæ civitati suæ, situm ideo gratulatur, quod maritimas utilitates complectitur, vitia autem maritima vitat (5).

(1) Cf. Arist. Polit. III. 12, IV, 1-3.
(2) De Republica I, 34.
(3) Cf. De Officiis, I, 11.
(4) Arist. Polit. IV, 2, 4, 5.
(5) Arist. Polit, IV, 10. Cf. De Republica II, 5.

Fretus igitur virtute, sententiam nunc explicat Aristoteles, quam supra vidimus : ἡ δὲ βελτίστη πόλις οὐ ποιήσει βάναυσον πολίτην. Hic profitetur ἀναγκαῖον εἶναι τοὺς γεωργοὺς δούλους ἢ βαρβάρους ἢ περιοίκους : opificum enim et agricolarum βίος πρὸς ἀρετὴν ὑπεναντίος. Ubi vox Tullii de agricultura : « Nihil homine libero dignius? » Scilicet Græci laboris hujus, quem tanti fecit Roma, dignitatem haud satis intellexerunt. Servis igitur solum patriæ sulcandum et arandum dabit; servis alendam civitatem committet! Cincinnati aratrum ne tangi quidem ab homine libero patietur! Regio dividetur in privatos privatis et publicos publicis agros servis colendos! Credit Aristoteles nullos ab aratro cives arcessi posse : cavet præsertim ne quem a grammatica vel arte gymnastica vel musica servilis iste labor avertat! At hercule veteres illi Romani neque grammatici neque cantoris disciplina informati erant : qui qualem rempublicam habuerint, subactus orbis testatur (1).

Fons triplex virtutis est, φύσις, ἔθος, λόγος : quæ debent inter se συμφωνεῖν ut cives bene beatique vivant : hinc proficiscatur educatio necesse est (2). Hoc autem educationis Aristotelicæ fundamentum est ut civis non patriæ, sed sibi natus sit, unde fit ut educationis publicæ legem hic quoque reperiamus; quamvis alias multa præclara de privata educatione senserit Aristoteles (3) : longe aliter Tullium sensisse vidimus. Defixos oculos in hominem legumlator tenebit, et eam animi partem quæ concipit æterna veraque semper intuebitur. Maximo vitio Lacædemoniorum educatio laborat, quia partem eam quæ ad militiam versa est, unice spectat, pacis et artium domesticarum nescia. Bellum quidem facere licet, ut modo diximus, ἵνα αὐτοὶ μὴ δουλεύσωσιν ἑτέροις : « bellum autem ita suscipitur ut nihil aliud nisi pax quæsita videa» tur (4), » τέλος γὰρ... εἰρήνη πολέμου. Hic igitur, vel in Aristotelicis libris, *cedant arma togæ*. « Parvi enim esse foris arma, nisi est consi» lium domi, » quis ignorat (5)?

Cum autem περὶ πολιτείας ἀρίστης disceptat, quamdam reipublicæ formam amplectatur Aristoteles necesse est : sunt autem sex formæ rerumpublicarum, βασιλεία, ἀριστοκρατία, πολιτεία, δημοκρατία, ὀλιγαρχία,

(1) V. Arist. Polit. IV, 8-9, V, 2.
(2) Arist. Polit. IV, 12.
(3) Ethic. ad Nicomachum X, 10.
(4) De Officiis, I, 23.
(5) V. Arist. Polit. IV, 13, V, 1.

τύραννις. Populare genus corruptum Cicero, tyrannidem Aristoteles in infimo gradu collocat : nemo quidquam pulchrius et excelsius in tyrannos locutus est. Scilicet tyrannum immortali tabella pingit suorum cervicibus incumbentem regiasque virtutes metu quodam interdum simulantem : declamatio nulla, nulla vocis contentio; non ille tyranno solam hominis figuram superesse clamitet vastissimasque belluas conferat : sed vi quadam ineluctabili nihil reipublicæ perniciosius excogitari posse demonstrat. Tyrannum cives odere; cives tyrannus odit; nihil aliud quærit quam ut eos omni ope extenuet : ergo virtutem, concordiam, opes civium imminuit : interiit respublica (1). Cæteris vero corruptæ civitatis generibus δημοκρατίαν anteponit. Tunc μόναρχος ὁ δῆμος γίνεται : scimus autem « esse tam tyrannum istum conventum » quam si esset unus. » Corruptæ vero civitati non lex plerumque, sed unus, aut plurimi, aut pauci imperant : quid autem de hoc populo qui non lege, sed frenis ad nutum herilem impositis gubernetur ? ὅπου γὰρ μὴ νόμοι ἄρχουσιν, οὐκ ἔστι πολιτεία : primum mihi populus non est, dicebat noster, nisi qui consensu JURIS continetur (2).

Deinde Aristoteles hanc reipublicæ formam, quam πολιτείαν vocat, introspicit : hæc est, ait, quædam μίξις ὀλιγαρχίας καὶ δημοκρατίας. [Ἀριστοκρατίας μὲν γὰρ ὅρος ἀρετὴ, ὀλιγαρχίας δὲ πλοῦτος, δήμου δ' ἐλευθερία : quæ si tria civitatis *elementa* consociaveris, quamdam ἀριστοκρατίαν, si tantum divitias ac libertatem, πολιτείαν habebis (3). Ea vero omni ope retinenda est (nisi forte vir quidam optimus exstiterit ad quem regnum populus deferat) ἀριστοκρατία; sic enim ἀρίστην πολιτείαν quam finxit ad arbitrum suum vocat Aristoteles : hæc virtute sola subnixa est. Sed vulgo divitiæ virtutis locum tenent : quæ si virtuti et libertati conjunctæ sint, idem nomen haud immerito servabit civitas, nam vel ita reliquis civitatibus antecellet (4). Silicet hoc animadvertendum est ut Aristoteles, Plato, Tullius, cum nihil esse melius permixta republica professi sunt, optimatium civitatem finxerunt : Platonem hic erravisse docet Aristoteles; neque tamen ita permixtam civitatem fingit ut vim regiam in ea retineat, nisi forte quidam mortalis deus apparuerit; item noster ejicit reges, et tantum ministros optimatium

(1) Arist. Polit. VIII, 9. Cf. De Republica II, 26.
(2) V. Arist. Polit. VI, 4.
(3) V. Arist. Polit. VI, 6.
(4) Arist. Polit. VI, 2-4.

servat ; hic autem consuli Romano venia danda est. Quanquam nescio an consulem Romanum admodum vituperet jam Aristoteles, cum eos vituperet qui, dum scribunt de Republica, aut civitatem quamdam quæ fieri numquam possit, creavere, quod ad Platonem spectat, aut, quod ad Ciceronem, nihil aliud excogitavere quam ut urbis cujusdam vicinæ laudes canerent (1).

Aristoteles autem, dum civitatem aliquam sibi talem effingit, qualem esse maxime optat, quærit quod civium genus optime reipublicæ præficiat. Hic pauca præclare de medio quodam ordine loquitur. Odit latifundia, neque tamen ita dividit agros ut major sit opera, minor seges : is est ordo qui principum superbiam et plebis indocilem iracundiam pariter effugiat, is est quo duce neutrum in latus inclinet civitas ; is est qui semper eumdem tenorem ac modum reipublicæ retineat : *δεῖ δ' αἰεὶ τὸν νομοθέτην ἐν τῇ πολιτείᾳ προσλαμβάνειν τοὺς μέσους* (2). Nihil quidem in Tullianis libris de Republica simile reperias : sed nullo pacto fieri potest ut ille dux equestris ordinis, inventor istius temperamenti quo librata factionem inter utramque respublica certum iter conficeret, hanc Aristotelicorum librorum partem prætermiserit, nec in fragmenta tanti operis erepta tempore quidquam ex studiis, quidquam ex consiliis, quidquam ex vita sua transtulerit:

« Debet autem sic constituta esse civitas ut æterna sit, ait Cicero. » Itaque nullus interitus est reipublicæ naturalis, ut hominis, in quo » mors non modo necessaria sit, verum etiam optanda persæpe. Ci- » vitas autem cum tollitur aut deletur, simile est quadammodo ac si » omnis hic mundus intereat ac concidat (3). » Noster igitur, qui mixtam habebat rempublicam ut stabilem haberet, nihil pejus istis commutationibus crediderat, quippe qui nullam crederet nisi corruptissimam civitatem istiusmodi conversionibus perturbari. Si quis autem conversiones rerumpublicarum apud Ciceronem spectaverit, nihil aliud quam duas leges invenerit, unam : omnia nimia in contraria convertuntur, alteram : forma quæque simplex in corruptam degenerat : neque tamen, Polybii et Platonis instar, fatalem quemdam reipublicæ cursum describere voluit. Nihil autem apud Aristotelem exquisitius, nihil absolutius, nihil excelsius quam liber de publicis

(1) Arist. Polit. VI, 1.
(2) Arist. Polit. VI, 9-10.
(3) Cic. apud Aug. De Civitate Dei, l. XXII, c. VI.

rerum commutationibus : hic longo sequitur intervallo Tullius Aristotelem ; neque quidquam, vel nostris diebus, Aristotelicæ doctrinæ vir peritissimus addiderit.

Ideo convertitur respublica quod lex et principium civitatis sic in majus provehitur ut mole ruat sua. Sic in civitate populari quia libertas æquata est, facultates æquari putant; sic in ὀλιγαρχίᾳ qui potior divitiis se potiorem cæteris rebus existimat : inde plebis factiosi duces plebis tyrannidem evertunt : « ex hac nimia licentia quam illi solam libertatem putarent, » libertatis; « ex nimia potentia principum » principum interitus exoritur (1). « Ex hoc enim populo indomito vol potius » immani deligitur aliquis plerumque dux contra illos principes. » Tyrannica vero potestas concidit, quoties fit conjuratio sive injuriis seu metu seu contemptu sive effrenata cupiditate seu laudis amore cæco sive maximo quodam odio incensa ; regia potestas duobus modus concidit, cum discordiis imperantium laborat et cum in tyrannidem delabitur. Sic omnes causas conversionum in omnibus civitatibus describit Aristoteles : quas hic numerare non vacat. Descripta vero morborum natura, mixtam civitatem noster finxit; sic quoque medicinam parari Stagirites ille docet: sed nihil ultra Cicero. Aristoteles ad se vocat medium illum ordinem, prohibet ne divites insane bona profundant (2); vetat quosdam temere supra modum extolli, tres egregias virtutes ab iis efflagitat qui accedunt ad gubernacula reipublicæ, ut rempublicam sustinere possint, ut velint, ut libertate in populari civitate, virtute in ἀριστοκρατίᾳ sustineant : educationem jubet ad reipublicæ statum accommodari, hoc denique suadet ut modus usque servetur (3). « Nihil enim exitiosius civitatibus, nihil tam contrarium juri et legi- » bus, ut jam supra diximus, quam composita et constituta republica » quidquam agi per vim. » Noster, ut videtur, Aristotelicas opiniones haud semel aut meminit aut inscius secutus est : nec absurdum aut inutile fuit ostendere quomodo duo maxima ingenia in eodem campo spatiata sint.

Neque tamen inter Platonem, Aristotelem, Tullium palmas decernere licet ac dijudicare quis vicerit. Plato subtilior in excogitando ; terras quidem despicit ; sed reipublicæ remotissimam quamdam

(1) Arist. Polit. VIII, 1-5. Cf. De Republica I, 44.
2) Cf. De Officiis II, 16.
(3) Arist. Polit. VIII, 7-8.

imaginem intuetur; scit multa fieri non posse, quæ dixerit, neque curat. Effigiem quamdam civitatis pulcherrimam exstruxit, neque coloribus pictor, neque cantibus poeta pepercit.

« Edita doctrina sapientûm templa serena »

nescio qua majestate colit; dolet, in libris de Legibus, se turbis mortalium et civitatum clamoribus immisceri; neque tamen plus quam unum pedem ultra limen templi posuit. Non ita terrestribus hominum conciliis evolavit Aristoles : Platonem impugnat, aliquoties imitatur, sed vultu figuraque mortali indutus imitatur. Hic homo nudus adest, agitque sentitque loquiturque. Civitatis machinam ostentat ille nunc motam, nunc immobilem; partes ejus dinumerat, cursum describit, nervos ac membra corporis istius magni investigat. Dum autem Verulamii *calceis plumbeis* instructus est neque peregrinationes aerias tentavit, scientiæ fundamenta jecit, immo erexit ædificium. Quid igitur Tullius? Eam civitatem incoluit qua nulla præstantior in orbe terrarum exstitit; hanc oculis objecit : pingebat Alexandrum Apelles. Platonem ita correxit ut Romæ Platonicam doctrinam accommodaret; sic a doctoribus eruditus est ut in concionem ad rempublicam capessendam accinctus prodiret : ita scholam adiit ut redierit consul.

§ IV.

Tullius enim : « Nosque ipsi, quidquid ad rempublicam attulimus » (si modo aliquid attulimus) a doctoribus atque doctrina instructi ad » eam atque ornati accessimus (1). » Tertium igitur doctorem in hujus opusculi fine, Polybium, recordemur necesse est : ea enim, quæ spirat in omni Ciceronis doctrina, quæ in omnibus de Republica libris eminet, laus temperatæ permixtæque conformationis in Romana civitate absolutæ gremio Polybii effusa primum esse videatur. Suadet ipse Tullius in secundo libro de Republica : « Sequamur potissimum » Polybium nostrum quo nemo fuit in exquirendis temporibus di» ligentior (2). »

Addere licet : Nemo fuit inter peregrinos in Roma perspicienda, miranda, laudanda diligentior. Etenim libro sexto historiæ tres for-

(1) De Officiis I, 44.
(2) De Republica, II, 14.

mas reipublicæ simplices regnum, optimatium civitatem et δημοκρατίαν, tres vero corruptas; tyrannidem, ὀλιγαρχίαν, ὀχλοκρατίαν ostendit (1), et conversiones rerumpublicarum in hunc modum exposuit. Initio reges fuere, mox tyranni; tunc optimates, populi duces, in tyrannum coorti sunt; optimates rempublicam capessivere, quos nimium rebus prosperis elatos plebs dejecit : paulo post reipublicæ plebs ipsa incubuit; unde fit ut ad regnum vi necessaria revertamur (2). Tunc optimam hanc esse civitatem professus est ubi mixta quadam et temperata conformatione respublica conversiones istas effugeret : sic Lycurgus æquabilitatem et firmitudinem civitatis in permixta constitutione quæsivit (3). « Romani vero, Polybius ait, idem in ordinanda » patria adepti sunt; neque meditationibus, sed præliis et periculis » edocti, optimam elegere viam : sic Lycurgum æmulati sunt et asse- » cuti, pulcherrimamque rempublicam constituerunt (4). »

Egregium quidem temperamentum et idoneum ad Urbis æternitatem confirmandam! Regia potestas apud consules, vis optimatium in senatu; juxta vis populi sita est : neque ullo pacto fieri potest ut consules deficiente populo ac senatu (5), ut senatus deficiente populo (6), ut populus sine patrum auxilio (7) rempublicam regant. « Cum igitur singulæ civitatis partes obesse et prodesse sibi invicem » queant, adversus omnes casus apte convenienterque sunt instruc- » tæ; unde fit ut meliorem rempublicam nemo possit instituere... » Ubi enim pars aliqua se offerens... nimium valere cœpit, accidit ut, » cum omnium vires et consilia, sicut jam ostendimus, contrariis » viribus et consiliis cohibeantur, nihil in republica supra modum » extolli possit (8). »

Nihil aliud Scipio : neque mirum, cum Polybio familiariter uteretur. Ambo Romanum animum gesserunt, ambo imminentes Urbi procellas prospexere. Polybius enim, quanquam eo tempore vivebat

(1) Polyb. VI, 3-4.
(2) Polyb. VI, 7-9.
(3) Polyb. VI, 3, 10. Hæc omnia pæne ad verbum in primo de Republica libro noster secutus esse videatur.
(4) Polyb. VI, 11.
(5) Polyb. VI, 15.
(6) Polyb. VI, 16.
(7) Polyb. VI, 17.
(8) Polyb. IV, 18.

quo Romæ nec laus foris nec domi consilium deerant, jam duos soles in republica factos esse querebatur. « Postquam enim civitas aliqua, » ex multis et magnis periculis servata, fastigium potentiæ tetigit, » palam est, ubi beata fortuna suam sedem in ea civitate diu po- » suerit, fieri ut mores luxus vitiet, animos ambitio torqueat.... »

Λήψεται δὲ τὴν ἐπιγραφὴν τῆς μεταβολῆς ὁ ὄχλος, ὅταν ὑφ' ὧν μὲν ἀδικεῖσθαι δοξῇ διὰ τὴν πλεονεξίαν, ὑφ' ὧν δὲ χαυνωθῇ κολακευόμενος διὰ τὴν φιλαρχίαν (1).

Hoc metu, hoc spectaculo Tullius angebatur : unde fit ut nunquam, vel cum Romam suam laudibus in cœlum tolleret, ab interitu reipublicæ oculos avertere potuerit. An Aristoteles patriam habuerit ex ejus quidem scriptis judicanti incertum est ; ut doctores quidam apud nos resolvendis corporibus inhiant, sic animo tranquillo et sedato abdita quæque in civitatibus investigat. Plato saltem Græciam amavit, bella geri inter Græcos indignatur ; Græcos in servitutem redigi vetat. Quid autem de Tullio? quis ita patriam dilexit? quis ita laudavit? quis ita defendit? Longum ipse funus producebat ; ipse consuetum carmen in libris de Republica cantabat :

..... non ante revellar
Exanimem quam te complectar, Roma, tuumque
Nomen, libertas, et inanem prosequar umbram.

Romam illam veterem exsuscitavisset, si ea potuisset exsuscitari. Quid autem in ista fæce Romanus liber? quid animus Romanus? Abierat tempus quo Decius rempublicam sanguine suo redimere poterat.

(1) Polyb. VI, 67.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, kal. jul. ann. M DCCC LVIII.

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

J. Vict. Le Clerc.

Typis mandetur :

Parisiensis Academiæ Rector,

Cayx.

INDEX.

PROŒMIUM..... 5
I. Civilis scientiæ principium et fons..... 9
II. Præcepta civilis scientiæ..... 41
III. Vera et viva effigies optimæ civitatis adumbratur..... 73
IV. Quid M. Tullius Cicero Platoni, Aristoteli, Polybio debuerit quæritur..... 113

Bellovaci. — Ex typis Ach. Desjardins.

THE BORROWER WILL BE CHARGED AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE NOTICES DOES NOT EXEMPT THE BORROWER FROM OVERDUE FEES.

WIDENER
BOOK
JUL 3 1986
1786
CANCELLED
DEC 23 1985

Lc 40.198.9
De scientia civili apud Marcum Tull
Widener Library
005138101
3 2044 085 195 063